[illegible]

ATHENAE LVBECENSES

ſiue de

ATHENAEI LVBECENSIS

INSIGNIBVS MERITIS,

per inſtitutionem optimorum virorum

acquiſitis,

in Rempublicam ſacram, ciuilem & litterariam

COMMENTARIVS,

praeter glorioſas Memorias

quorundam

CONSVLVM LVBECENSIVM,

quos ſequuntur alii Viri meritisſimi ad

SENATVM LVBECENSEM

pertinentes,

multas praeſtantisſimorum

THEOLOGORVM, ICTORVM, MEDICORVM, PHILOLOGORVM ET PHILOSOPHORVM

Vitas,

partim renouatas, partim nunc primum litteris

conſignatas, adiectam

SCRIPTORVM EDITORVM ET NON EDITORVM

notitiam habentes, complectens.

Accedit

ATHENAEI LVBECENSIS HISTORIA.

Auctore

JOAN. HENR. VON SEELEN

Rect. Lubec.

LVBECAE, Sumtibus PETRI BOECKMANNI, A. MDCCXIX.

LEOBVRGI, Typis CHRISTIANI ALB. PFEIFFERI.



INCLYTAE.

LIBERAE. ATQVE. IMPERIALIS.

LVBECENSIS.

REIPVBLICAE.

SENATVI.

MAGNIFICO. ET. ILLVSTRI.

)(2 *VIRIS.*

VIRIS.
MAGNIFICIS. HONORIBVS.
EXCELLENTISSIMA. IVRIS.
SCIENTIA. MERITORVM.
GLORIA.

ILLVSTRIBVS.

NOBILISSIMA. DIGNITATE.
GENEROSO. SANGVINE.
PRVDENTIAE. LAVDE.
MVNERVM. AMPLITVDINE.
CONSPICVIS.

PATRI

PATRIBVS. PATRIAE.
EXOPTATISSIMIS.

DOMINIS.

DEMISSO. PIETATIS. OBSEQVII.
ET. HONORIS. CVLTV. AD.
CINERES. VSQVE. DEVENERAN-
DIS.

MAECENATIBVS.

ET.

PATRONIS.

OPTIMIS. MAXIMIS.

HAS.

ATHENAS. LVBECENSES.

OBSERVANTIAE. DEBITAE.

TESTES.

AC.

SVBMISSI. CVLTVS.

QVO.

TANTOS. VIROS.

VENERATVR.

INTERPRETES.

ET.

CVM. IIS.

SE. IPSVM.

D. D. D.

IOANNES HENRICVS VON SEELEN.

Annus



Nnus cum duobus circiter menſibus eſt elapſus, ex quo celeberrima Respublica Lubecenſis (quae ſemper floreat!) Veſtra, DOMINI, qui ſumma CONSVLARI & ſplendida SENATORIA dignitate in ea eſtis illuſtres ac conſpicui, auctoritate atq; Veſtris com̃unibus ſuffragiis me benigne excepit. Beneficiorum, quibus per hoc breue tempus ſum ornatus, tam ingens eſt copia, vt habeam, quod per omnem vitam praedicem, & tamen non ſatis poſſim praedicare. Retinere nihilominus ſtudebo mente gratiſſima, atq́; memoriam eorum, quae

mihi praeſtita ſunt, cum ipſa demum vita deponam. Requirit hoc VESTRA beneuolentia, quae mihi adeo cecidit grata, adeo profuit, vt, ſi tenuitati meae liceret, ad immortalitatis memoriam eam conſecrarem. Requirunt muneris, quod gero, rationes; quippe hoc munere mihi benigniſſime demandato ſurrogaſtis me viris, quorum gloria, virtute & eruditione parta, ex litterata ciuitate nunquam exterminabitur: imo eiusmodi viris, a quibus dum MAGNIFICO SENATVI nullum pietatis, nullum obſequii, nullum ſtudii officium defuiſſe video, ad ſimilem pietatem, idem obſequi-

vm,


vm, par ſtudium non poſſum non inflammari. Monumentum huius rei erigerem aere perennius, ſi poſſem aliud, quam chartaceum, ponere. Hoc igitur a me *Athenis Lubecenſibus* ſtatutum intueamini, rogo humillime, oculis beneuolentisſimis, ſcriptoris non facultatem, quae tenuis, quae exigua, quae nulla eſt, ſed animum deuotum, ingenuum, ſalutis Lubecenſis cupidum reſpicientes. Vobis, o! STATORES fortunae meae, ſacer eſto hic qualiscunque liber, qui nullo non tempore, quod, ſumma benignitate veſtra fretus, certisſime ſpero, VESTRA fruetur tutela, VESTRO gaudebit

patrocinio, VESTRO praesidio erit munitus. Tuebimini enim, O DII TVTELARES! quod Vestrum est. Vester autem est hic liber, quoniam Athenaeum, in cuius gratiam conscriptus, Vestrum est; & VOS veneratur summos Patronos, qui praecipuam eius curam gerunt: colit benignissimos Patres, quorum amorem vere paternum maximam suam ducit felicitatem. Vester est hic liber, quia VOS eidem elaborando ansam suppeditastis, dum me iudicauistis dignum, quem Athenaeo Vestro principe loco praeficeretis. Vester denique est hic liber, quoniam VOS ipsi splendididissimis Vestris nomi-

nominibus & praeclarissimis meritis maximum ei decus conciliastis. Accipite igitur, VIRI ILLVSTRES, MAGNIFICI, NOBILISSIMI, CONSVLTISSIMI, GENEROSI, PRVDENTISSIMI, AMPLISSIMI, quod Vestrum est, & date mihi hanc veniam, vt, cum aliud munus non habeam, submisse ac decenter offeram VOBIS, quod Vestrum est. Diuinum autem Numen VOS omnes seruet & summae felicitatis reddat participes, vt per Vos, PATRIAE PATRES, per Vos, PATRONI ac FAVTORES, & per Vestram curam, prudentiam, fidem stet haec praeclara Respublica: Ciues sint incolumes, sint florentes, sint beati, & tranquilla, felici, exoptata republica nullo non tempore fruantur: Vestrum quoque Athenaeum, meum delicium, quod VOBIS de meliori nota commendo, semper magis magisque efflorescat. Ego sancte testor, quod ob Vestra, DOMINI, MAECENATES, PATRONI, FAVTORES, merita, quae immortalia, quae magna, Vestrum

ſtrum amorem erga optimas litteras, qui intenſisſimus, Veſtram virtutem, quam diſertisſimus quoque non poteſt digne celebrare, praeſtantiorem fortunam, meliorem incolumitatem, gratius gaudium, maiorem gloriam cum ſplendidisſimis ac grauisſimis muneribus, quae in ſalutem patriae optime adminiſtratis, quouis tempore coniungi cupiam, quam omnes, eloquentisſimi etiam oratores, posſunt verbis ornare. Supremus rerum arbiter annos Veſtros ita augeat, vt permultos posſitis iis accenſere: fortunae autem Veſtrae ea largiatur incrementa, ad quae enarranda & deſcribenda non tam mea in dicendo infantia, quam ipſa Tulliana facundia obmuteſcat. Valete VIRI ILLVSTRES, MAGNIFICI, NOBILISSIMI, CONSVLTISSIMI, GENEROSI, PRVDENTISSIMI, AMPLISSIMI, & me porro ſumma Veſtra beneuolentia ac fauore dignamini. Scr. Lubecae. d. IV April. MDCCXIX.

PRAE-



PRAEFATIO.

LECTOR BENEVOLE!



TRado Tibi & aequae ac prudenti Tuae cenſurae Partem primam *Athenarum Lubecenſium*, horis ſubſeciuis, animi recreandi cauſa, concinnatam. Inſcripſi Athenas, non ſolum, quia vidi, haud disſimilis argumenti libros eodem inſignitos eſſe titulo, ſed etiam, quia commodius mihi non occurrit vocabulum, quo ſtatim in fronte oſtenderem, me, ſummo ſic volente Numine, ſcholis dicatum & iam tertium diuina gratia ſcholaſticum munus obeuntem, in gratiam Scholae ſcripſiſſe. Scholae, quod Tibi non ignotum, ab Athenis, illa quondam florentisſima Muſarum ſede, nomine ſatis honorifico, dicuntur Athenaea, vti a perpetuo, quod in iis eſt, exercitio, Gymnaſia, & ab Apolline Lyceo, cui Schola Ariſtotelis, Lyceum dicta, ſacra fuit, Lycea nominantur. Indicare igitur hac inſcriptione volui, fuiſſe per duo mox ſaecula in ciuitate noſtra Lubecenſi celebre Muſarum domicilium (quod hodieque ſuperſtes diuina ſuſtentat ac tuetur clementia per optimos & mea laude maiores Patronos), in quo permulti illuſtres, meritisſimi & egregii Viri, ope praeſtantisſimorum doctorum publicorum, ad altiora ſtudia vtilisſime tractanda inſigni ratione praeparati. Hoc me non ſcribere nimio erga iſtam officinam, in qua mihi laborandum eſt, amore ductum, neque etiam iactabundum

(iactan-

(iactantiam enim ſemper auerſatus ſum), ſed rei veritate permotum. haec iam Athenarum initia docent, luculentius autem apparebit, ſi integrum hunc laborem licuerit abſoluere. Reſtant enim laudandi non ſolum celeberrimi Theologi, ſed etiam alii illuſtres & meritis inclytisſimi, ſcriptis quoque famam praeclarisſimam nacti Viri, quos inter Conſiliarii intimi & alii grauisſimis muneribus functi comparebunt. Praemiſi introductionis loco *Orationem Inauguralem* Lubecae an. 1718. d. 24 Febr. pro ſplendidisſima PP. CC. & numeroſisſima aliorum Auditorum concione habitam, quam plane non immutaui. Dedi in ea tum aliarum rerum, tum praecipuorum virorum, qui Lubecenſe Gymnaſium doctrina ſua & meritis mirifice illuſtrarunt, breuem notitiam, quae cum prolixiori indigeret explicatione, *Obſeruationes* quasdam adiunxi. In ipſis Athenarum Sectionibus tantum reddo, quantum licuit inueſtigando adipiſci. Potuiſſem facile vnamquamque Sectionem copioſisſimam ſiſtere, ſi omnes iſtos voluiſſem addere, de quibus memoriae non eſt proditum, ideoque certo non conſtat, quod in Athenaeo noſtro litteris ſint imbuti. Sed hos aliis praedicandos relinquo. Mihi ſufficit, eos collaudaſſe, qui Scholam noſtram ſtudiorum ſuorum matrem honoris cauſa nominarunt nominantque. Quosdam tamen Conſules Lubecenſes, coniectura, quam ſuggesſit ipſorum patria, forſan non fallente, commotus, praemiſi iis Conſulibus, quibus, tanquam ſuis olim ciuibus, Athenaeum noſtrum certisſime poteſt gloriari. Perfectum hic nihil deprehendi, atque ſine dubio multo maiorem eſſe numerum praeſtantisſimorum Lycei noſtri alumnorum, quam a me potuit recenſeri, ipſe lubens fateor. Iuuare me potuiſſet egregie Album, ſi id, quod antiquis temporibus haud dubie adfuit, eſſet Athenaeo noſtro relictum & conſeruatum. Illud, quod ſupereſt, ab Abrah. Hinckelmanno coeptum, Enoch. Suantenio continuatum & a me, quamdiu Numini placebit, continuandum nonnullam mihi praeſtitit vtilitatem. Haud pauca debeo praeterea *Programmatibus Lubecenſibus*, quae hac occaſione non poſſum non laudare. Vtilisſimo nimirum inſtituto, vt perſonarum laude dignarum, quas Muſa vetat mori, obliuioni eripiantur memoriae, in funeribus perſonarum honoratiorum, more in Academiis & quibusdam etiam Vrbibus aliis recepto, per Rectorem Latina Programmata ſcribuntur, quibus vita, laudes & merita defunctorum

rum

rum continentur. Fuit hic laudabilis mos iam tempore Kirchmanni, cuius vidi Programma in exequiis Elisabethae Haniae, Friderici Heinii, I. V. D. relictae Viduae Lubec. 1630. 4. Haec Programmata, & ea quidem, quae Viros laudant, si quis ad celeberrimi Polyhistoris Hamburgensis, Io. Alb. Fabricii, Memoriarum Hamburgensium, ex eiusmodi Programmatibus constantium, collectoris & editoris, exemplum vellet colligere, & titulo *Memoriarum Lubecensium* euulgare, posset facili negotio multa molis haud exiguae volumina exhibere, quamuis nonnulla iam sint a Wittenio, Pippingio & Goetzio in Memoriis atque Elogiis repetita. Praeter haec Programmata & subsidia alia vsus etiam sum quibusdam MSStis, e quibus aliqua adduxi, plura restant adducenda. His aequiparo inscriptiones epitaphiorum & nummos, quibus inserendis ideo operam nauaui, quoniam iis, tanquam documentis publicis, fides habetur. Quae porro poterunt detegi ad institutum meum spectantia, ea cum beneuolo Lectore in Parte II bona fide communicabo, *Supplementa*, quia dies diem docet, ad vnamquamque forsan Sectionem daturus. De quibusdam etiam viris, qui in Obseruationibus ad Orat. Inaug. iam laudati sunt, aut in Sectione Philosophorum, aut in Historia Athenaei quaedam porro commentabor. In primis de Io. Kirchmanno, cuius MSSta, quae magno numero reliquit, perinsignia mihi cuncta innotuerunt. Indicem denique etiam promitto. Non erat initio animus, hunc Commentarium in duas partes diuidere, sed facere hoc me oportuit partim ob laborum, quibus per elapsam hyemem fere obrutus fui, multitudinem & inde fluentem temporis penuriam, partim ob alias causas, quae in fine adducuntur. Ordinem coactus sum in Athenis seruare alphabeticum, ne huius vel illius honorem laederem, aut laedere saltem viderer. Quem ergo litterae faciunt ordinem, is, quia nullius dignitati fraudi est, nemini, nisi imprudenti, displicebit. Ceterum gratias decentissimas iis omnibus publice hic persoluo, qui mihi pro beneuolentia sua aliquid suppeditarunt, quod instituto meo potuit inseruire. Eosdem rogo, velint hunc fauorem continuare: ab aliis vero, qui aliquid possident, quibus Athenae meae possunt augeri & exornari, decenter peto, velint pro humanitate sua eius quoque mihi copiam facere. Si quid relictum, quod ad Sectiones iam exhibitas pertinet, poterit illud

com-

commodum in Supplementis (in quibus deinceps laudandos eodem honore, quo collocatos in Sectionibus, volo affectos) locum inuenire. De reliquo hodierni faeculi genius, mihi non ignotus, me non finit dubitare, fore quosdam, qui existiment, eos tantum fuisse a me commemorandos, qui editis libris & scriptis in orbe litterato famam sibi acquisiuerunt. Cui censurae facile possem opponere exempla Pauli Iouii, Papirii Massonii & aliorum, qui in Elogiis suis multos, etsi nunquam fuerunt scriptores, tamen commendandos esse putarunt: itemque institutum Io. Rentorfii, qui de Viris eruditis, a quibus nihil publici factum iuris, olim librum edere voluit, quem conatum nuper admodum in Selector. Litterarior. Specimin. I. p. 20 commemoraui. Sed hi, antequam censeant, euictum, quaeso, dent, quod Virorum istorum nomina sint tacenda, & memoria non sit retinenda, qui meritis sunt inclyti, licet non scriptis. Ingenii monumenta, quod minime nego, merentur omnino memoriae conseruationem: sed ideo meritis aliis hic honor non est abiudicandus. Quod superest, Lector sincere, rogo, velis non de his initiis solum, sed tum demum iudicium ferre, cum totus hic labor ad finem perductus. Videbis, operae fuisse pretium, illum suscipere & susceptum exantlare. Vale.



ORATIO INAVGVRALIS.

Quod DEVS immortalis, summus ille Scholarum Rector, bene ac feliciter euenire iubeat!

VIRI MAGNIFICI ET CONSVLARI DIGNITATE ILLVSTRES, PATRIAE PATRES OPTIMI, DOMINI AC MAECENATES SANCTE ET DEMISSE VENERANDI.

SVMME REVERENDE ATQVE EXCELLENTISSIME SACRORVM PRAESVL: NOBILISSIMI, CONSVLTISSIMI ET EXPERIENTISSIMI DOCTORES: ADMODVM REVERENDI ET PRAECLARISSIMI SENIOR, PASTORES ET SYMMYSTAE: NOBILISSIMI, GENEROSI, AM-

PLISSIMI AC PRVDENTISSIMI SENATORES, PROTONOTARIE AC SECRETARII, DOMINI ET PATRONI OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDI; VOSQVE RELIQVI VIRI CLARISSIMI ATQVE DE RE SCHOLASTICA, LITTERARIA ET CIVILI BENEMERITI, COLLEGAE, FAVTORES, AMICI EA, QVA PAR EST, RATIONE COLENDI.

TVQVE IVVENVM IN ARTES LIBERALES INCVMBENTIVM CORONA DILECTISSIMA.

Accedo iuſſu & auctoritate ILLVSTRIS atque MAGNIFICI huius reipublicae SENATVS ad hanc celebrem Muſarum ſedem & inſignia illa diuinae prouidentiae documenta, quae ego quidem adhuc haud exiguo numero habui, hodierno die aucta deprehendo. Praeter omnem enim ſpem atque opinionem diuinum Numen, quae eſt ipſius clementia, me peregrinum in ciuitatem Lubecenſem (1) adſcribi & eiusmodì beneficio ornari voluit, quod qui laudibus non

effert

effert, qui ſtudiis non proſequitur, nae! illum oportet eſſe ingratum & a cultu atque humanitate longisſime remotum. Etenim hac civitate donatus videt, & cum ſtupore videt ea, quae gaudendi, quae laudandi, quae demirandi occaſionem quotidie largiuntur. Excitat vnumquemque ciuem bonum & religioſum ſplendidisſimum illud ac grauisſimum huius civitatis conſilium, quod acerrime vigilat ad incolumitatem publicam, conſulit patriae, proſpicit ciuibus, iuuare ſtudet omnes, populi Lubecenſis nomen ſalutemque defendit: imo felicisſime ſequitur veſtigia maiorum, ad quos celeberrimi rerum ſacrarum apud Gieſſenſes doctores Ioannes Winckelmannus, Balthaſar Mentzerus & Ioannes Giſenius olim iſthaec ſcripſerunt: *Vos religionem Chriſtianam ſincere conſeruatis, fideles Eccleſiae* (addo etiam ſcholae) *doctores beneficentia veſtra ſubleuatis, pietatis ſtudia omni conatu promouetis.* (2) Non minus moueatur quiuis purioribus ſacris ſincero animo addictus praeclarisſimis illis meritis, quibus viri munerum ſanctitate conſpicui in hac republica inclaruerunt. Quis ignorat Bonnum, Curtium, Pouchenium, Stampelium, Hunnium, Hannekenium, Pomarium, Pfeifferum, Goetzium, ex ſacro ordine ipſa lumina? (3) Quis ignorat reliquos clarisſimos viros, ſanae doctrinae, ſi Laurentius Surius (4), Ianus Guilielmus (5) & pauci alii excipiantur, per Lutherum purgatae ſtrenuos vindices, quos Lubeca noſtra protulit, olim coluit & hodie veneratur ob eo-

rum operam in rebus diuinis gerendis adeo eximiam, vt eam merito nuncupare possim gloriae fontem perennem. (6) Quis ignorat aurea eorum scripta & isthaec non summa cum voluptate euoluit? Laudis quoque segetem & materiam vberrimam inuenio in praestantissimo illo huius ciuitatis iure (7), quo maximo cum fructu vtuntur multi huic reipublicae ideo valde obstricti: quo delectantur omnes intelligentes: quod opera sua non indignum iudicant summi viri ac harum rerum longe peritissimi, vt exempla Meuii, Cothmanni, Sibrandi & aliorum euincunt. Quid dicam de magnitudine & multitudine beneficiorum, quae Lubeca nostra consueuit laudatissimo exemplo tum in alios, tum inprimis in optimarum artium & litterarum studiosos conferre (8)? Sane isthaec non possunt non laetitia perfundere eum, qui amat litterarum incrementa: amat excolentes doctrina, quae vera, quae salutaris, quae pia, animos suos: amat eos, qui ita in vtilissimas disciplinas incumbunt, vt possint aliquid ex iis ad communem afferre fructum & in aspectum lucemque producere. (9.) Imo vero tota haec ciuitas ostendit tot egregias, tot pulchras, tot mirandas res, vt lubens fatear, me ad eas digne praedicandas parem animi magnitudinem afferre non posse. Quaedam ei praeconia detulit Petrus Lindenbergius, Poeta non inelegans, his verbis vsus (10):

— — — Gemina circumdata Nympha
Vandaliae caput ipsum, Vandaliaeque corona,
Teu-

Teutoniaeque decus nos lauta Lubeca receptat,
Lauta Lubeca ſitu, cenſu generoſa frequenti,
Magna viris magnis, qui iuſta lance miniſtrant
Sacratas leges, praeſcriptaque iura tuentur:
Vt Iouis & Charitum, vrbs dici, incunabula poſſit
Tantus amor recti, tantum hic valet aurea virtus.

Ipſe Iulius Caeſar Scaliger, at quantus vir! quantus in orbe litterato heros! in laudem Lubecae noſtrae ita cecinit (11):

Si referam: mihi quis credet? ſub limina mundi
Vltima legiferi iura vigere Dei.
Ingenium, candorem animi, cultumque, fidemque,
Fortiaque inuicta pectora pura manu,
Dum mirata ſtupet terras Aſtraea relinquens,
Atque putat coeli regna, reſedit ibi.

Eadem eſt ſententia Paulli Neucrantzii, Medici celeberrimi, qui de republica noſtra Lubecenſi affirmat, (12) quod *nulla vicinarum fide & conſtantia maior, nec religione in Deum, munificentia in pauperes ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuerit.* Sed an hi & alii laudibus Lubecam noſtram, quae impleuit orbem terrarum nominis ſui gloria, ſatis extulerint, intelligentium eſto iudicium. Ego ſaltem fateor, quod non ſim tanta eloquentia, neque tam excellenti genere dicendi, qui ea huius reipublicae ornamenta, quorum mentio-

tionem feci, oratione mea ſatis poſſim ornare. Quamobrem iſthaec viris, quibus ampliſſima vbertas ingenii & diuinum plane ac incredibile genus orationis, laudibus relinquo proſequenda. Ego vero omnem cogitationem in hoc Muſarum domicilium confero, daturus operam, vt aliquo modo oſtendam, quantum emolumenti tam ab iis, qui in eo docuerunt, quam iis, qui didicerunt, ad rempublicam redundarit. Diuinis itaque auſpiciis initium dicendi faciam *de praeclaris Gymnaſii Lubecenſis meritis in rempublicam ſacram, ciuilem & litterariam.* Vos, Domini, Maecenates, Patroni, Fautores, complectemini me ea beneuolentia, vt benigne audiatis pertractantem argumentum, quod ob vtilitatem maxime ſe commendat, dum docentes pariter ac diſcentes ad praeclara quaeuis ſuſcipienda non poteſt non inflammare. Atque hoc ſi mihi a Vobis tribuetur concedeturque, quod fretus ſumma iſta humanitate, quae in Vobis ſemper eluxit, certiſſime ſpero, contendam, vt, cum in hoc ampliſſimo argumento oratio mihi deeſſe neutiquam poſſit, non tam copia, quam modus in dicendo a me quaeratur.

Eam, Auditores, laetus cognoui virorum non paucorum, qui in hac publica bonarum mentium officina & docuerunt & didicerunt, excellentiam, vt ei vix ac ne vix quidem poſſit par oratio inueniri. Teſtis eſt respublica ſacra, in cuius ſalutem ſchola haec, velut foecunda & fidelis mater, enutriuit optimos filios

lios, viros ad cuſtodiendam ſanam doctrinam diligentisſimos & ad vindicandam fortisſimos: viros & integritate & doctrina & ardore & conſtantia immortale nomen adeptos. Teſtis eſt respublica ciuilis, cui illa praeparauit viros eruditione, prudentia, circumſpectu illuſtres: viros, quorum labor in negotio, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo maximam mouit admirationem. Teſtis eſt respublica litterata, cui illa dedit viros litteratisſimos, qui poſteaquam ipſi ſtudiis humanitatis tam ſtrenue animos ſuos excoluerunt, vt ab illis neque otium eos abſtraxerit, neque voluptas auocarit, neque ſomnus retardarit, ad rem litterariam multa attulerunt. Atque hunc inſignem fructum magna ex parte respublica acceptum referre debet viris commemorabili pietate, ſcientia, induſtria & aliis virtutibus praeditis, qui, huic ſapientiae domui praefecti, illis principes & ad ſuſcipiendam & ingrediendam rationem ſtudiorum extiterunt. Horum memoriam, quantum per temporis anguſtias licebit, renouare ſuadet non ſolum iucunditas & iubet vtilitas, ſed ipſa etiam aequitas videtur poſtulare. Aequum ſane eſt, vt viri maximis meritis inclyti quauis occaſione ab obliuione vindicentur. Imo aequum eſt, vt illorum, quos intelligentes omnes praedicant, merita ex noſtra quoque memoria non euellantur. Equidem praeter ſolum nomen vix quaedam habeo in medium proferenda de HERMANNO BVS-

CODVCENSI, quem non ſolum Dauid Chytraeus (13 & alii, verum etiam illuſtris Seckendorfius primum hanc ſcholam, cui *egregiae* nomen imponit, rexiſſe diſertis verbis affirmat. (14) Sed plura ſunt & illuſtriora, quae de HERMANNO BONNO poſſunt commemorari. Ille multorum hominum, qui ſua aetate fuerunt, gloriam ſuperauit. Ille, ille eſt, cuius, ſi a Ioanne Bugenhagio receſſerimus, ope res ſacrae pariter ac ſcholaſticae emendatae, in ordinem redactae, amplificatae. Scholam noſtram, in quam aetatis anno ſexto & viceſimo eſt ingreſſus, ſua prudentia, eruditione, auctoritate breui tempore illuſtrauit, omni iure ideo a Melanchthone (15) & aliis ſummis viris celebratus. Vti vero non eſt dubium, quin multis, poſtea de rebus ſacris praeclare promeritis, viam ad veram ſapientiam monſtrarit, ita & ipſe, adiuncta ſibi ad amplitudinem & gloriam & ad res ſacras bene gerendas diuinitus fortuna, ſanctiori Antiſtitis muneri admotus eximiis meritis inclaruit & velut Imperator, in quo magna ſcientia, ſingularis virtus, clariſſima auctoritas, ſtrenue geſſit bella domini, quae ita neceſſaria erant, vt negligi non poſſent, ita magna, vt accuratiſſime eſſent adminiſtranda. Neque ſunt ſpernenda huius viri ſcripta (16), quae vel rebus ſacris lucem afferunt, vel ad pietatem excitant, vel ad humanitatem hiſtoriamque pertinent & valde vtilia complectuntur. His rebus factum eſt, vt viri docti certatim in Bonno noſtro laudibus ornando experiri viderentur, quas laudes collectas induſtriae

ſtriae Starckii (17) debemus. Eandem felicitatem minime inuiderem GVILIELMO RVTENIO, liberalium artium magiſtro, ſcholae noſtrae principe loco poſt Bonnum praefecto, ſi illius fuiſſet particeps factus, ac praeter ea, quae ſepulchro eius ſunt inſcripta (18), quaeue Bangertus (19), qui bonum inprimis Grammaticum eum fuiſſe affirmat, de eius abitu ad ciuitatem Magdeburgenſem &, poſt obſidionem, reditu ad Lubecenſem annotauit, aliquid de eo memoriae eſſet proditum. Nam hic quoque ſine dubio doctrina liberaliter inſtituit viros, qui magno fructui gloriaeque reipublicae fuerunt. Eadem me ſpes tenet, quando recordor MATTHIAM BRASSANVM, ex Sundenſi vrbe anno ſaeculi decimi ſexti quadrageſimo tertio Lubecam vocatum & anno ejusdem ſaeculi quinquageſimo ſecundo mortuum, de cuius meritis celebrandis nemo fere cogitauit (20). Paullo benigniora fata expertus eſt PETRVS VINCENTIVS, cuius memoriam non plane intercidiſſe gaudemus. Nouimus enim, quod Vratislauia eum produxerit, Wittenberga & Gryphiswaldia publicis ſuis magiſtris annumerarit, Gorlicium vero, Lubeca noſtra & patria quoque viderit Gymnaſia bene gubernantem. Nouimus, quod ſtudiis ſapientiae probe fuerit imbutus, diuina illa carmina condendi ſcientia perpolitus & dicendi artem ſcientisſime complexus. Nouimus, quod publici fecerit iuris ſcripta, in quibus Lubecam pariter ac virum optime de Lubeca meritum Ioannem Bugenhagium laudauit: Tri-

dentini Concilii damna piis precibus auertere studuit: Tullii Philippicam primam in gratiam humanitatis studiosorum excussit & alia elegantioris doctrinae dedit documenta. Nouimus, quod multis sit admirationi ob ingentes, quas possedit, diuitias, optime ad litterarum, & praesertim historiae (21) incrementum collocatas. Digna igitur vtique est eius memoria, quae apud nos eodem conseruetur studio, quo Hankius, Henelius, Wolfius, Monarius & plures viri docti (22) litteris eam consignarunt. Tot illustres praecones non nactus est LAVRENTIVS MOLLERVS, cujus nomen Bangertus paucis verbis ab obliuione vindicauit, apud alios nihil fere de illo reperitur. Cognitam magis perspectamque esse gaudemus gloriam HIOBI MAGDEBVRGI, viri magnae famae, qvem felicissime a Ioanne Riuio, idoneo valde magistro, formatum, praeter vrbem Misenensem & Freibergensem, nostra etiam Lubeca publicum admirata est doctorem. Hic celebris est ob instauratas in Misnia Graecas & Latinas litteras: celebris ob nostri Athenaei gubernationem: celebris ob praestitam fidem, studium, prudentiam in aula Ioannis Alberti, Principis Megapolitani, qui eum in deliciis habuit & Principi iuueni, in spem regni nato, sacris aliisque Principem ornantibus disciplinis erudiendo praefecit: celebris ob res aliis in locis praeclare gestas: celebris etiam ob ingenii monumenta, quae pereximium diuini Lutheri libellum prima saluberrimae scientiae rudimenta complectentem explicant,

Tullii

Tullii Officia & Demosthenis Orationem de Pace illustrant, Graecaeque linguae studiosis vtilissima suppeditant praecepta. Causas itaque sat graues habuerunt Menckenius, Lipsiense illud decus, Dietericus, alii, ob quas non nisi honoris causa Magdeburgum nostrum nominarent. Facem iis praetulit Henricus Pantaleon, quo iudice *praeclaram sibi eruditionem comparauit & studiis vitae innocentiam atque docendi perspicuitatem adiunxit* (23). Digna profecto laus immortalium meritorum viro, quem IOACHIMVS HANFIVS, ludi antea litterarii Stendaliensis Rector, excepit. De hoc obseruari meretur, quod scriptis Annotationibus in Tusculanas Ciceronis Quaestiones & Obseruationibus in Dialecticam Philippi Melanchthonis famam sibi acquisiuerit. Hanc augere contendit defensa & introducta in scholam nostram Ramaea Philosophia (24), quae tamen paullo post eiecta a PANCRATIO CRVGERIO, quem dicendi pariter ac disputandi artem diligenter exercuisse, aliosqve laude dignos labores in gratiam Athenaei huius exantlasse haud sine insigni voluptate legimus relatum (25). Post Crugerium scholam video regendam esse traditam MICHAELI RACKELMANNO, cuius merita licet ob annorum etiam paucitatem (quatuor enim tantum annos supremi doctoris scholastici munia Lubecae gessit) non possint esse adeo magna, largissimam tamen eorum copiam annis sequentibus suppeditauit OTTO GVALTPERIVS, qui cum summis, quibus strenui sanctioris scientiae cultores ornan-

ornantur, honoribus iam esset insignitus & munus publice Graecam ac Hebraeam linguam in Marpurgensi Academia docendi consecutus, accessit nihilominus ad scholam nostram, cuius illustre quondam decus fuit & insigne ornamentum. Quid ego, Auditores, de hoc praestantissimo viro dicam? aut quis de eo satis digne vnquam verba faciet? Loquantur, qui amant vtramque sanctam linguam: loquantur, qui eximia charitate diligunt diuinum Lutherum eiusque doctrinam: loquantur, qui abhorrent a veneno Zvingliano: loquantur, quibus curae est sanior Philosophia optimarumque litterarum studium, & omnes vno ore fateri oportet, Gualtperium de singulis his scientiis & ore & calamo egregiè esse promeritum (26). Maximae quoque gloriae particeps factus est IOANNES KIRCHMANNVS, qvem Lubeca nostra genuit ac educauit, Rostochiensi deinceps Academiae, vt eius ciues artem condendi carmina doceret, concessit & tandem sibi ob praestantiam vindicavit. Etenim tantus est splendor in laude eius, vt isthaec non a fortuna commodata, sed a virtute donata esse videatur. Laudant, & iure laudant, summi viri eius de Funeribus librum, quem limatissimis de hoc argumento commentationibus Quenstedii, Faesii, Gyraldi ob reconditam antiquitatis Romanae cognitionem nonnulli si non praeferunt, saltem cum iis omnino exaequant: commendant elegantem de Annulis libellum: non sine voluptate legunt Epistolas: probant, quae eum in finem elaborauit, vt in

nostra

nostra ac aliis scholis ars rationis, eloqventia ac morum praecepta ex antiquis gentium monumentis desumta commode possent doceri: calculo digna iudicant alia omnia, quae ab hoc viro sunt profecta (27). Haud spernenda etiam eruditionis dedit documenta SEBASTIANVS MEIERVS, vir Medicinae pariter ac litterarum humaniorum valde peritus: vir bene meritus de multis viris optimis, quorum memorias voluit extare: bene meritus de Graecae linguae studio, dum Gualtperii Grammaticae annotationibus augendae haud inutilem operam impendit: bene meritus de tota hac schola, quam per multos annos gubernauit (28). Non est itaque dubium, quin eius cura & studio aucta sint Lycei nostri merita, ad quae, iam tempore Meieri huius innumerabilia, maximus praestantia HENRICI BANGERTI (29) cumulus accessit. Eius enim nomen celeberrimum, quod hodieque longe & late vagatur, nostro quoque Gymnasio decus, famam, honorem conciliauit. *Florebat*, inquit Ioannes Andreas Schmidius (30), *tum Lubecae Gymnasium, siue schola illustris duumviris clarissimis Sebastiano Meiero Rectore & Henrico Bangerto Prorectore, Polyhistore celeberrimo.* Imo vero, quis potest de Bangerti insignibus valde meritis dubitare, qui legit, quae magnus ille Henricus Meibomius, celebris quondam huius scholae alumnus & Bangerti discipulus, ad ipsum his verbis scripsit: *Regrediebar in id tempus, quo fideli & dextra tua informatione fruebar, qua nec meliorem sperare ausus fuissem, quamque*

que amicis meis omnibus optarem (31). Confirmant ifthaec, ut alia non adducam in primis ea, quibus Helmoldum pariter atque Arnoldum illuftrauit. Haec enim prae fe ferunt maximam eruditionem: haec oftendunt limatum iudicium: haec indicant conftantem diligentiam: Paucis: haec eum reddunt immortalem. Propagare ftuduit bene merendo gloriam Bangerti HERMANNVS NOTTELMANNVS (32), qui per octo quidem tantum annos Gymnafio noftro praefuit, iuuenes tamen fibi commiffos tanta fide, tanta fedulitate, tanta prudentia inftituit, vt Nottelmanniana etiam merita digna iudicem, quorum fuauisfima femper recordatio habeatur. Ille enim haud paucos quoque formauit & diuinam illam praefertim dicendi artem docuit, qui meritorum fuorum in rempublicam magnos, & merito quidem, praecones inuenerunt. Multum quoque admirationis, multum gloriae habet virtus ABRAHAMI HINCKELMANNI (33), qui vix vnum & viginti annos natus Gardelegienfis primum fcholae, deinceps, interiectis vix duobus annis, noftrae moderator eft conftitutus, vir ob praecox ingenium, quod haud ita pridem praedicauit Ioannes Klefekerus (34), ob maximam eruditionem, quae multos in ftuporem dedit, ob praeclara fcripta, quae multorum manibus non fine infigni teruntur voluptate, ad inuidiam vsque a nonnullis laudatus. In ipfa, quae fepulchrum eius ornat, infcriptione vocatur *magnum diuinae & humanae fcientiae lumen, pietatis & integritatis vitae fpectatisfimum exemplum, fcri-*

pturae

pturae ex scriptura interpres longe accuratissimus ac Dei voluntatis diligentissimus scrutator. (35) Tandem venio ad te, ENOCHE SVANTENI (36) & licet laudibus tuis enarrandis tempus non sufficiat, volui tamen ad illas meam saltem voluntatem afferre. Nouit eas Rostochium, quod te publicum doctorem vidit: cognitas habet Lubeca, cuius Gymnasium rexisti: non ignorat respublica litteraria, quae suis ciuibus te dudum annumerauit. Vix ex pueris excesseras, cum laude, qua maiorem viri & annis & eruditione graues non possunt obtinere, te iam mactaret Henricus Dringenbergius, cui si omnis tua praestantia fuisset perspecta, quanta gloria te dignum iudicasset? Quare nunquam desistam, pios manes tuos colere & sancte venerari. Habetis, AVDITORES OPTIMI, viros maximis meritis inclytos, quos Gymnasium nostrum sibi principe loco habuit praefectos. Inter reliquos dantur quoque, qui immortalitatis amore flagrarunt, eandemque etiam scriptis, meritis, industria sunt consecuti. ERASMVM SARCERIVM (37) dum ex his nomino, virum nomino, cuius maxima exstant merita: virum, cuius memoriam Athenaeum nostrum Lubecense, aeque ac Rostochiense, Viennense & Graeciense in Stiria nunquam deponet: virum primis accensendum, qui purgatam doctrinam & voce & scriptis strenue defenderunt: virum, cui ciues reipublice sacrae pro Corpore Iuris Matrimonialis, pro libro de Disciplina Ecclesiastica & aliis ingenii monumentis

mentis nunquam sufficientes gratias possunt persoluere. Quantum vero sacrarum litterarum cultores debent Sarcerio, tanto amore, post fata etiam, humanitatis & omnis disciplinae elegantioris studiosos oportet prosequi IOANNEM POLZIVM (38), virum eloquentiae & Graecae Linguae studiis perpolitum, quia magnum illum Morhofium optime formauit. Neque contemnendus est MARTINVS LIPENIVS (39), cuius merita in scholam nostram & vniuersam doctam rempublicam ingenui omnes recte norunt aestimare, admirantes in eo incredibilem diligentiam, quam elaboratis scriptis antiquitatem, Philosophiam, rem litterariam illustrantibus & amplificantibus luculenter ostendit. Religioni porro mihi ducerem, si hic plane tacerem IOANNEM HENRICVM HESSIVM (40), qui cum in illustri schola Gothana & Smalcaldiensi res suas praeclare egisset, nostram iussu Numinis ingressus est & acuti valde ingenii dotibus cum indefessa diligentia coniunctis eius commodis egregie prospexit, praematura morte ereptus non sine ingenti dolore vt multorum aliorum, ita praecipue auditorum, qui hodieque superstites fatentur, eruditionem cum ingenio, ingenium cum industria, industriam cum prudentia in hoc viro certasse. Praeter hos adsunt alii, quorum ope, labore, doctrina nostrum Lyceum felicissime vsum est ad merita sua amplificanda. Adest IACOBVS KOCKERTVS (41), qui ob studium humanitatis & potissimum laborem

Teren-

Terentio impenſum merito celebratur; adeſt DAVID BRVGGIVS(42), quem poëmata elegantisſima valde commendant: adſunt alii, quos recenſere temporis anguſtia prohibeor. Tam doctos vero, tam eximios, tam celebres cum habuerit ſchola noſtra magiſtros, fieri aliter non potuit, quin ex ea tanquam equo Troiano prodirent maximo numero viri inſignes meritis, quae ampla, diuina, immortalia. Atque hi ſummi viri debitis nunc eſſent laudibus ornandi, niſi ſatius ducerem, tacere, quam ob temporis penuriam imperfecte dicere. Dabitur, quod diuina benignitas me ſperare iubet, in poſterum occaſio praedicandi tam defunctos, quam ſuperſtites ſcholae noſtrae quondam alumnos, quorum incredibilis ac diuina virtus reipublicae ſacrae, ciuili, litterariae maximam attulit vtilitatem. Nunc ea ſunt dicenda, quae nouum munus, quod diuinis auſpiciis in me ſuſcipio, iubet, quaeue & pietas requirit & ſummorum PATRONORVM ac MAECENATVM gratia a me non exſpectat ſolum, ſed etiam poteſt iure poſtulare. Te itaque primum mente humillima veneror, benignisſime DEVS, qui mihi, quod animo gratisſimo publice profiteor, per omnem vitam tot ſingularis tuae prouidentiae, curae, amoris, beneuolentiae documenta oſtendiſti, vt ad ea celebranda maior, quam humana eloquentia requiratur. Tibi, optimum Numen, gratias, quas mente poſſum concipe-

cipere, maximas persoluo pro maximis beneficiis mihi non merenti concessis, dum me, patre iam in ipsa iuuentute orbatum, paterno amore adhuc complexus es: me nullo non tempore iuuisti: me inuidia, quam semper fere comitem habui, opprimi non es passus, sed inuidorum conatus repressisti, meum vero animum egregie confirmasti, adeo, vt inde quoque senserim fructus non spernendos, hac quippe re non parum excitatus. Tu, o coelestis Pater, paterno tuo amore me in posterum quoque dignum iudica, & quia opinione citius mihi per huius reipublicae PATRES CONSCRIPTOS nouum munus demandasti, simulque, dum est satis graue atque arduum, nouum humeris meis onus imposuisti, iube etiam beneficia adesse noua, meque tua sapientia rege, fortitudine tuere, auxilio iuua, fauore fortuna, vt munus meum geram religiose: geram ad augendum & amplificandum tuum honorem: geram ad recte formandos iuuenes, quorum officia aliquando vtraque respublica exspectat. A Deo immortali ad Vos venio, o Dii mortales! VIRI MAGNIFICI ET SVMMA IN HAC INCLYTA REPVBLICA DIGNITATE CONSVLARI ILLVSTRES, patriae Patres optimi, Maecenates demisse colendi, atque gratias humillimas Vobis vna cum omnibus reliquis ILLVSTRIS SENATVS MEMBRIS ago pro

sum-

ſumma beneuolentia, qua me eſtis comple-
xi, quaeue mihi ad extremum vsque vitae
halitum exhibebit praedicandi argumentum.
Deus, cui magiſtratus curae ſunt, Vos quoque
ſibi habeat commendatisſimos: Vos iubeat
eſſe felicisſimos: Vobis cumulatisſime imper-
tiatur omnia, quae ſecunda, quae fauſta, quae
faſtigio fortunae illuſtrium virorum digna
poſſunt exiſtimari. Vobis, quos veneramur
Dominos, veneramur Maecenates, venera-
mur ſummos Athenaei noſtri Patronos, Vo-
bis, inquam, det Numen felicisſimum im-
perium, conſtantem ſalutem, ſeram immor-
talitatem, vt vita diuturna ſit, gloria meri-
torum maximorum aeterna. Praeſtet porro
Deus felicem Te, Vir ſumme reuerende excel-
lentisſimeque, qui ſupremi ſacrorum in hac
republica Praeſulis munus ſumma cum laude
ſuſtines & praeclarisſimis meritis famam du-
dum es conſecutus, vt te diutisſime ſuperſti-
tem videat respublica ſacra pariter ac littera-
ria, quam vtramque iam diu ornaſti, ornas
hodieque & in poſterum quoque ornabis, ſi
Numen conceſſerit vitam, valetudinem & vi-
res, quas Tibi ex animo precor. Non ſinat
etiam Deus amittere ſecundam fortunam Vos,
Viri nobilisſimi, conſultisſimi, experientisſi-
mi, qui ſupremis in iurisprudentia pariter at-
que medendi arte honoribus eſtis conſpicui, vt
nunquam ludibrium fortunae experiamini,
ſed ſemper conſtantem illam videatis, eiusque

iucunditate nullo non tempore frui posſitis. Idem Deus curam gerat Veſtrum, Viri admodum reuerendi & praeclarisſimi, ſacri ordinis Senior, Paſtores ac Symmyſtae, vt omni felicitate abundetis, doctrina veſtra nunquam exoptato fructu deſtituatur, munerumque veſtrorum grauitatem fortunae magnitudo queat ſuperare. Omnis porro proſperitatis ſummum Numen participes reddat Vos, Viri nobilisſimi, generoſi, amplisſimi, conſultisſimi, prudentisſimi, qui Senatorum, Protonotarii & Secretariorum munia in reipublicae commodum, cum quo ſalus ſcholae noſtrae eſt coniuncta, laudatisſime adminiſtratis. Viuatis, opto, proſperrime. Viuatis ita, vt omnes res bene ac feliciter eueniant. Viuatis Dei benignitate in commune gaudium. Ille Deus patrocinio ſuo etiam non indignos eſſe velit omnes reliquos bonarum litterarum, & Gymnaſii noſtri fautores, ſed quicquid honori, ſaluti, commodo eorum expedit, id omne iis quouis tempore largiatur. Veſtrae non minus ſalutis, ſi quid mihi optare datur, rationem habeat ſupremus rerum arbiter, Collegae honoratisſimi, vosque ſeruet, felicitatem veſtram incrementa capere iubeat, & tam exantlatos quam exantlandos labores veſtros moleſtisſimos ac difficillimos (quos enim oportet maiores perferre moleſtias & maiores ſuperare difficultates, quam viros ſcholaſticis muneribus admotos?) praemiis, quae eſt ipſius clemen-

clementia, afficiat. Perſuadeatis vobis velim vnicum meum votum eſſe videre vos, videre veſtros florentisſimos, imo videre hanc celebrem Muſarum ſedem in antiquum gloriae locum reſtitutam. Agedum, Viri optimi, laboremus coniunctis viribus, laboremus coniunctis animis, laboremus coniuncta induſtria, vt ſemper ſchola noſtra mereatur laudes, quibus eam ornauit diuus Pfeifferus, idoneus valde cenſor, his verbis vſus (43): *Habemus nos bene conſtituta Lycea & Gymnaſia, quae inter noſtrum a multis iam annis tantum caput effert, quantum lenta ſolent inter viburna cupresſi.* Haec vt obtineatur gloria, vos, iuuenes filiorum inſtar dilectisſimi, quos ſchola haec velut mater benigna lacte verae ac ſolidae doctrinae nutrit, eo contendetis, vt vitam non vituperandam, ſed laudandam, ſed aliis in exemplum proponendam agatis, quo verum illud iuuentutis decus, vera illa elegantia in vobis conſpiciatur. Pietas, pietas, inquam, non fucata illa, ſed vera, ſincera & incorrupta prima lex erit. Cum pietate coniungetur obedientia: cum obedientia modeſtia: cum modeſtia temperantia: cum temperantia induſtria: cum induſtria omnes reliquae virtutes, quae adoleſcentes optimae indolis ornant, iuuant, commendant. Sic habebitis Numen propitium: ſic conſcientia poteſt eſſe tranquilla: ſic optatum ſtudiorum veſtrorum finem certisſime aliquando conſequi poteſtis. Ego quicquid ingenii, quicquid doctri-

ctrinae, quicquid exercitationis possideo, id omne vsibus vestris ac vtilitatibus nunc consecro & sancte polliceor, me illos iuuenes in deliciis habiturum, qui non solum in litteras incumbunt, sed etiam vitia mature auersantur & istud ornamentum assequi student, quod optimi mores largiuntur. Tu vero, clementissime DEVS, qui mihi nouum hoc munus per vocationem, quam vere diuinam dicere audeo, detulisti, reges omnia tuo numine: aderis tua gratia omnibus iis rebus, quae mihi conscientiae & muneris religione ducto erunt perficiendae: auertes cuncta mala, vt omnis molestia felicissime vincatur. Tu conseruabis Viros meritorum gloria illustres, quos vtraque respublica vindices suos & statores agnoscit. Tu conseruabis integram hanc rempublicam, vt omnes, quos illa fouet, ciues viuant, floreant, vigeant. Viuant diu: floreant, ex animi sententia: vigeant, vt bonorum omnium & meis etiam votis potest optari. Tu conseruabis denique scholam nostram, celebre istud ingenuarum mentium Gymnasium, vt in posterum quoque meritis insignibus magis magisque inclarescat.

OBSER-

OBSERVATIONES

ad praecedentem Orationem Inauguralem,

quibus breuiter commemorata paullo copiosius illustrantur & explicantur.

(1) *Reipublicae Lubecensi* multi vtilem operam praestare voluerunt, eius *Historiam* litteris consignantes. Vide eos diligenter recensitos a Cl. Mollero in Isagog. ad Histor. Chersones. Cimbric. p. 430 sqq. Inter antiquiores in primis consulendus est, praeter *Arnoldum, Helmoldus*, in *Chronico Slauorum* in primam Lubecae originem multo studio inquirens, quo diligenter vsus est *Hermannus Kornerus*, cuius Chronicon adhuc ἀνέκδοτον in Curia nostra asseruatur. Speciminis loco dabo ex eo verba, quibus recuperatam Lubecae libertatem describit. Ita autem Hermannus T. II. fol. LXXIX. col. a. ad An. 1227. *Lubicensis*, ait, *urbis ciues miserunt ad Fredericum Imperatorem nuncios solempnes, secundum Cronicam Lubicensem, offerentes ei ciuitatem suam, eo quod per Fredericum primum auum suum Imperatorem fuisset victoriose & virtute belli ad imperium acquisita ac acceptata in tuicionem Imperialis maiestatis, nec non privilegiis ejusdem dotata. Quam oblacionem sponteneam ciuium gratanter acceptans, ipsam Lubicanam urbem & suos inhabitatores, ipse Fredericus in*

 dedicio-

dedicionem pariter & defensionem Imperii iterum recepit, & eos a fidelitate & paccione quacunque contracta & facta cum Woldemaro Rege Danorum totaliter & simpliciter absoluit, ac libertates eorum antiquas bulla imperiali roborauit & innouauit, nec non nouas adiecit liberaliter. Non pauca etiam Lubecensia habet Chronicon MStum insigne & nitidis litteris exaratum, quod seruatur apud nos in illo Curiae loco, qui dicitur die Wette/ & cuius auctor Dethmarus, Lector Franciscanus (Minoriten Lese-Meister zu St. Catharinen) esse creditur. Kornerus ad hoc Chronicon saepe solet prouocare. Congestum est an. 1385. Inter recentiores eminet Celeberrimus noster *Jacobus a Melle*, vir vt omnis antiquitatis & historiae, ita Lubecensis in primis longe peritissimus, qui non solum *Historiam Lubecensem Antiquam, Mediam & Recentem* in Academia Ienensi edidit, auspiciisque *Casp. Sagittarii* publice defendit, sed dedit ἀνωνύμως etiam Chronicon Germanicum, siue *Gründliche Nachricht von der Kayserlichen, Freyen und des H. Röm. Reichs Stadt, Lübeck, welche denen Einheimischen und Fremden, aus unverwerfflichen Documenten, mit aufrichtiger Feder ertheilet wird.* Lub. 1713. 8. Optant vero mecum omnes historiae & antiquitatis studiosi, vt aliquando iuris publici fiant omnia, quae Historiae Lubecensis sacrae pariter ac ciuilis illustrandae causa ex fide dignis documentis magno iudicio nec minori industria conscripsit.

(2.) In

(2) In Dedicat. T. VI. Dispp. Giess. Consentit summus Theologus *Iustus Feurbornius* sub finem eruditissimae Epistolae Dedicatoriae Syntagmati secundo Sacrar. Disquisitt. praefixae, his repetitione dignis verbis LUBECENSES CONSULES, SYNDICOS & SENATORES allocutus: *Vos estis nostrae religioni sincerae, in S. litteris fundatae, in Symbolis Apostolico, Nicaeno & Athanasiano breuiter repetitae, in Augustana Confessione inuariata eiusdemque Apologia, in Concordia Wittebergensi, in Smalcaldicis Articulis, in Catechismo D. Lutheri vtroque & in Libro Formulae Concordiae succincte & dextre expositae pie & candide dediti. Vos Ministros Ecclesiarum & Scholarum vestrarum orthodoxos & fidos aliosque in orbe Christiano nostrae purae fidei intemerate addictos doctores, professores & praecones sincere diligitis ac colitis honesteque alitis ac auide & mascule protegitis. Vos, diuina gratia communiti, thesaurum nostrae illibatae ὀρθοδοξίας in Scholis, in Ecclesiis & in Ditionibus vestris religiosa solicitudine custoditis & ad posteritatem propagare industrie allaboratis & quosuis falsa dogmata spargentes & exitialia scandala cientes decenter coercetis atque vestram Ciuitatem (praeclarum illud Christi habitaculum!) in religione incontaminatam, in vita sanctam, in commerciis iustam, in ceteris etiam negotiis innoxiam conseruare incessabiliter annitimini. Vos nullis sumtibus parcitis, vt Doctores, Pastores & Ministros Ecclesiae pios solideque doctos & praecellentibus donis a Deo condecoratos assequamini. Quod vel exemplum Viri plurimum reuerendi, clarissimi & excellentissimi Domi-*

ni Menonis Hannekenii, *SS. Theologiae D. eximii, vestrarum Ecclesiarum & Scholarum Superintendentis vigilantissimi, testatur. Quem, Deo omnisapiente sic dirigente & celsissimo nostro Principe & Domino, Domino GEORGIO, Hassiae Landgravio &c. tandem consentiente, ex Hasso-Marpurgensi Academia & Ecclesia, non sine vestrae inclytae Reipublicae honore & emolumento, consecuti estis.* & reliqua. Sapientem pietatem & piam sapientiam SENATVS LVBECENSIS ex Curia prope Templum primarium Marianum (quod Consules pariter ac Senatores frequentant) aedificata probat D. Io. Draconites in Dedicat. Sermon. de Emanuele I. C. an. 1584. his verbis vtens: *Mir gefällt der Lübischen Radherren Gottseligkeit und Weißheit seer wohl, daß sie Rathauß und Kirche so nahe zusammen gebauet, daß eins das ander gleich umbfähet.*

(3) De *Praesulibus Lubecensibus*, viris mea laude maioribus (de quibus omnibus dici potest, quod de Stampelio scripsit Seb. Meierus in Memoria B. Io. Reichii: *Magnus ille Georgius Stampelius, qui tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Lubecensium manebit*) possem multa h. l. annotare, si aliquid praeripere animus esset Pl. Reu. *Starckio*, Pastori Siebenbäumensi, quem Vitas Antistitum Lubecensium pleniores moliri ex Bonni Vita in lucem edita satis constat. Vidi apparatum ad laude dignum opus profecto eximium, qui propter multas epistolas & alia documenta nondum edita mihi adeo placuit, vt ex animo non possim

ſim non optare, velit Numen doctisſimo viro vitam & vires ſufficientes ſuppeditare, quo telam coeptam feliciter pertexat. Quaedam interim de his ſummis viris legi posſunt in Io. Hilmeri libello Germanico de Reformat. Lubec. p. 36 ſqq & ſcriptis ab eo citatis. Speciatim de *Goetzio* noſtro (quem Deus ſeruet!) vid. Bücher-Saal P. XLIV. p. 556. ſqq. & P. LII. p. 322. ſqq., vbi habetur ſcriptorum catalogus, augendus ſcriptis poſtea editis, quae ſunt

Ecloga Hiſtorico-Litteraria de Peregrinationibus Eruditionis Orientalis colligendae cauſa ſuſceptis. Lubec. 1716. 4.

Eccloga Theologica de Concionibus Sacerdotum, calamo exceptis. a. e.

Ecloga de Conuiuiis Eruditorum ad Pericopam Euangelicam Dom. XVII. p. Trinit. a. e.

Diſſertatio Theologica in Salutem Moribundorum, IEſus Maria *ingemiſcentium, inquirens.* 1717.

Ecloga Anti-Pontificia, Mariam Matrem Fidelium dicendam haud eſſe, ex Io. XIX. 26. 27 probans. a. e.

Diſſertatio Theologica de Moribundis Euangelico-Lutheranis, inſidiis Pontificiorum obnoxiis. a. e.

Disquiſitio, Num flexis genibus ſtudiis incumbere liceat? a. e.

Diſſertatio de Peregrinationibus periculoſis ob doctrinae Euangelicae hoſtes. a. e.

Bibliotheca Anti-Pontificia Presbyterii Lubecenſis. e. a.

Biblio-

Bibliothecae Anti-Pontificiae Clarorum Lubecensium Specimen. a. e.

Bibliotheca Lutherana tribus Dissertatt. exhibita. a. e.

Miracula Catechismi Lutheri, oder sonderbahre Denckwürdigkeiten des Catechismi D. Martini Lutheri, a. e.

De Salute Lutheri Διάσκεψις. 1718.

De Praeceptoribus Lutheri Commentatio. a. e.

Ecloga Theologica de Moribundi Lutheri Colloquio in vltima Coena habito. a. e.

Exercitatio Theologica de Gradibus Gloriae in Vita aeterna Luthero asserendis. a. e.

De Ισαγγελία *Lutheri.* a. e.

Vindiciae Catechismi Lutheri aduersus Laur. Surium. a. e.

Diatribe Theologica de Pictura Electoris Saxoniae & Martini Lutheri, coram imagine crucifixi procumbentium. a. e.

Dissertationes, Oraculum Lutheri: Fleissig gebetet, ist über die Helffte studiret, ac Praesagium Lutheri de Ioan. Stromero, Antecessore Academiae Ienensis, editum, illustrantes. a. e.

De Euangelii Ministris a D. Martino Luthero ordinatis, ad Art. Smalcald. P. III. Art. X. a e.

Propositiones varii argumenti, historiam D. Lutheri illustrantes. a e.

Miscellanea Theologica ex Historia Vitae Actorumque D. Martini Lutheri collecta. 1719.

Conf. etiam Celeberr. Walchii, Fautoris nostri valde colendi (cui hac occasione sero quidem, ex animo tamen, nouum publice in Sa-

lana

lana Academia docendi munus gratulamur) Progr. de Germania Historiae Litterariae splendore nostra in primis aetate inluminata Lipſ. 1715. 4., vbi de Nostro p. 4. recte iudicatur, quod harum litterarum adeo amans sit, & in his tam praeclara praestiterit, vt inter principes historiae litterariae patronos numerari mereatur.

(4) De *Laur. Surio*, Lubecensi, sacrorum Lutheranorum desertore & hoste infensissimo, peculiare scriptum promisit laudatus Goetzius. Hoc loco lubet ea dare, quae de illo in Ghilini Theatr. Viror. Eruditor. Italice edito Venet. 1647. 4, libro hodie rarissimo, sunt annotata. Leguntur autem Vol. II. p. 184. sq. haec verba: *Lubech, città Marittima ne i confini di Sassonia & Alsazia in Alemagna, fu Patria di Lorenzo Surio, il quale, benche fosse nato & alleuato trà gli heretici, contuttociò riuscì bonissimo Catolico, e gran difensore della Romana Cattolica Religione: Fu ne' puerili anni mandato a Colonia per attendere alli studii delle buone Lettere; nelle quali, come ancó nella pietà, e modestia fece riuscita mirabile, massime conuersando con alcuni altri costumatissimi giouinetti, suoi condiscepoli, figliuoli di Catolici: Dimorò in quella Città sin' a tanto, ch' hebbe finito il corso de' suoi studij, e poi inspirato da Dio, abbandonò il Mondo e ricoucrossi nell' Ordine Certosino; quiui attese alle migliori graui scienze, nelle quali s' approfittò di maniera, che pochi di quella Religione lo pareggiarono, e niuno li fu superiore: All' esortazioni del Padre Gherardo Hamontano,*

huomo

huomo dottissimo, e de' migliori soggetti dell' istesso Ordine, si esercitò primieramente in tradurre dall' Alemanno Idioma nel Latino, le Opere d' alcuni non men diuoti, che dotti huomini; dipoi applicò l' animo a produrre dal suo buon' ingegno parti di ottimi componimenti; come, e nell' vno, e nell' altro riuscì eccellentemente a gloria del suo nome, & a benefizio de' studiosi, massime hauendoli tutti publicati colle stampe: Le traduzioni dunque sono, Conciones omnes Ioannis Tauleri, *le quali prediche anco benissimo corresse*: XV. Conciones de Sacrosancto Missae Sacrificio Michaelis Sidonii: De SS. Eucharistiae Sacramento, siue de Veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia Ioannis Gropperi: Florentii Bataui Institutionis Vitae Christianae lib. 5: De Historia contra Ioannem Sleidanum: Sermo Martini Eisengreinii, cur tam multi ad Lutheranismum hodie deficiant; *dal Fiamingo poi tradusse le seguenti Opere nel Latino, cioè*, Opera Ioannis Ruisbrochii: Compendium verae salutis: Henrici Susonis Opuscula omnia: Friderici Staphyli Apologia 1. de vero Germanorum Sacrae Scripturae intellectu, 2. de Sacrorum Bibliorum in Idioma vulgare translatione, 3. de Lutheranorum Concionatorum inter se consensione. *Furono da lui similmente mandati in luce*, Homiliae priscorum Ecclesiae Patrum in totius anni Euangelia &c. *Del suo ingegno si vedono stampati sei Volumi, che contengono*, Collectanea de probatis Sanctorum Historiis; *la qual fati-*

fatica fu dipoi publicata sotto il nome di Luigi Lippomani; e quest' altra Opera, cioè, Commentarius Rerum in Orbe gestarum, ac praesertim Caroli Quinti Imper. ab anno 1500 vsque ad annum 1574. *Non tantosto egli hebbe finiti i suddetti sei Volumi delle Vite di tutti i Santi, comi fini lui ancora la sua vita, alli 23 di Maggio, dell' Anno 1578, nell' età di cinquanta due anni, de' quali ne consumò trentasei nel suo Ordine Certosino dopò, che in esso hebbe fatta la professione.* Pauca de hoc Surio habet Koenigius in Biblioth. V. & N. p. 786. falso asserens, eum fuisse Carmelitam. In conscribendis Commentariis Historicis Sleidanum aemulatus est, sed impari doctrina & iudicio. Quare calculo dignum est iudicium Iac. Verheidenii in Elogg. praestant. Theologor. p. 132, esse in libris Surii historicis *multa ridicula, affectata & sine iudicio scripta.*

(5) Benigniorem censuram meretur *Ianus Guilielmius*, quam Surius. Licet enim, quod dolendum! sacra quoque Lutherana deseruerit, eadem tamen tot conuitiis non onerauit, quot Surius aduersus illa effutire ausus est. Ceterum humanitatis studiis optime fuit excultus & haud spernendis in rem litterariam meritis insignis, licet, cum an. 1584 obiret, aetatis annum 30 nondum expleuisset. Quare summis laudibus summi viri eum ornarunt. Thuanus fatetur, *se semper ab amicissimi iuuenis colloquio meliorem ac doctio-*

ctiorem discessisse. Lipsio iudice scripta eius nil iuuenile spirant. Ipse Gaspar Scioppius, ille maximorum virorum rigidus & iniquus saepe censor, in Art. Crit. p. 16. scribit, *nullum eo praeclarius & elegantius ingenium aeuo suo extitisse.* Imo in Suspect. Lect. P. VIII. his declarat verbis, quanti Guilielmum faciat: *Valde, si quisquam alius, amo & colo elegantissimum Iani Guilielmi ingenium, cui si superstiti esse diutius licuisset, nae nos Germani exteris nationibus inuideremus.* Recte proinde iam ante Klefekerum in Bibliothec. Eruditor. Praecocc. p. 146 sqq Bailletus in libro Gallico: des Enfans celebres p. 177 in eruditorum prima aetate doctrina & scriptis illustrium numerum eum cooptauit. *Ianus Guilielmius*, inquit, *de Lubeck, dont les ouvrages sont les fruits d'une adolescence tres laborieuse & tres docte.* Eius *Verisimilium* & *Annotationum in Plautum* libros Ianus Gruterus T. III. P. II. Thesaur. Critic p. 258 sqq. inseruit: *Poemata* autem, nempe *Rosae*, *Elegiae*, *Epigrammata* & *Manes Palmeriani* vna cum Iani Lernutii & Valentis Acidalii Poematibus Lignic. 1603. 8 prodierunt. De reliquis scriptis vid. Koenigius l. c. p. 371. Klefekerus l. c. & qui ab vtroque citantur. Laudum ipsius pleni sunt *Iani Gruteri Manes Guilielmiani* Poematibus Guilielmi p. 141. - 179 adiecti, e quibus sisto carmen, quo patriam defuncti Guilielmi p. 166. sq. alloquitur:

Lubeca

Lubeca, ocelle nuper vrbium, quotquot
Mane exerens os, vesperi inserens Nereo,
Perenni clara Lampade aspicit Titan:
Quaenam te ita horrida afflat aura fortunae,
Vt ille maiestatis arduus splendor
Stet obsoletus squalidi situ luctus?
Et ille, verberans modo polum vertex,
Deiecto eat nunc in nigrantem humum vultu?
An fors, parens tenerrima, ad tuas aures
Delatus est rumor quoque ille funestus,
Guilelmium qui diceret periuisse?
Nondum ah! sed alte saucia es cor, abs illo
Quod separata mille millibus multis
Amabili pauisse lumina aspectu
Desideras incassum: abestque foecunda
Reconditissima illa vena Suadelae, ah!
Ah! si dolorem illum diu latere atra
Te fama vellet, auribusque non vti
Posses. Enim Deos tuam in ruinam, ipsa ac
Elementa coniurasse proximum est vero.
Frustra, heu, tibi nomen parentis est. Natus
Fuit tibi mage vnico vnicus. Magnus
Gulielminus, dico fuit, decorque ille
Defloruit praestantis oris & linguae
Sicut remota in valle Amaracus, terrae
Quam immanis aër, auster aut venenato
Inuasit halitu virente paulatim orba
Honore formae germinantis, expirat
Herbisque languido incubat suis collo.
Proh sortem iniquam! proh grauissimum casum!
Nunc, nunc, Lubeca, o vnguibus genas carpe,
Nunc vellito a radicibus capillorum

Suggeſtum opacum, eburque pectoris candens
Inuſta turpet multiplex nota, ac pullo
Amicta tegmine, hinc & inde turbatos
Cie ore lacrimoſiore clamores,
Maiora nunquam vulnera vlla in aeuo vllo
Tulit, feretue femina. Heu! tui coeli
Abiuit ille ſol, tuumque regnum atra
Caligine inuoluit, timorque is eſt conſtans
Ne ſurgat alter, qui tibi ferat lucem.
Heu! Heu! Lubeca, laneae genae nati
Blanda admouebis oſcula amplius nunquam.
Nunquam amplius lacertis obuium ſtringes
Tenacibus: tibi nec illa ſub denſis
Guilelmicos iugis reponet accentus
Iocoſa linguae filia aërisque Echo.
Non nominis tui vim ad aethera excelſi
Montes ferent, non maxima aequoris monſtra,
Non arborum vmbra, non vagi amnium fluctus
Te Ciuitatium omnium canent primam.
Heu! Heu! Lubeca. Iam Hippocrenidas fruſtra
Poſthac requires tinniente per rura
Palatim euntes barbito, entheum aut carmen
Lingua integrantes. Non in herbidis poſthac
Riui ad fluenta murmurantis vmbraclis
Fuſae iacebunt Gratiae, ſua ac raptim
Cum Principe atque Amore humum pede alterno
Sub populo patentiore pulſabunt,
Natumque laudibus ſupra globum aſtratum
Ferent tuum. Nec iam profecta turmatim
Ex omnibus plebs plurima angulis mundi
Curret, Lubeca, te anxie ſalutatum,
Flexoque adorabit ſolum genu, primum

Guilel-

Guilelmius cui institit pede humenti.
Quondam haec fuere. Quae omnia abstulit secum
Ad regna subterranea inclytus natus,
Olim inclytus: nunc, heu, dolorque luctusque,
Digitis dum onus tribus leuatur! o fatum!
O sortem iniquam! o miserrimum casum!

Ex hoc carmine fama & gloria Guilielmi in orbe erudito satis apparet. Eandem luculenter docet haec repetitu digna eiusdem Gruteri inscriptio, Manibus p. 180 annexa:

MEMORIAE SACR.
IANO GVILIELMO
LVBECENSI
SANCTISS. MORIBVS IVVENI ET VERE
FLORI ILLIBATO INGENIORVM
AD AETERNIT. ROMANI
NOMINIS NATO,
EIVSDEM
SEMPITERNO DAMNO
DENATO
IANVS GRVTERVS
AMICO INCOMPARABILI
EIVLATIONE DAMNATVS
HOS TITVLOS HOC MONVMEN
CHARTACEVM
QVIA MARMOREVM NON
POTERAM
B. M. P. S. D. M.
VALE ET SALVE ANIME MI GVLIELMI
DISCEDENS TERRAM TIBI DICO LEVEM.

Conf. elogia maxima Io. Caselii (qui Carmini suo Graeco elegantissimo haec praefixit: *Iano Guilielmio, Lubecensi, doctrina varia & antiquitatis cognitione perinsigni, ad spes magnas, ob acumen ingenii, de liberalibus & eloquentiae studiis opera sua promouendis & ornandis, quorum caussa Galliam lustrarat, erecto; at in primo iuuentutis limine non sine multorum luctu e vita sublato, amici posuerunt*) Io. Matalii Metelli, Sequani & Nathan. Chytraei, quae l. c. p. 181 sqq. leguntur. Add. omnino Thom. Pope Blount Censur. Auctor. Celebr. p. m. 830 sq. Mart. Hankius de Scriptor. Rer. Roman. P. I. c. 69. p. 243. sq.

(6) Praeclara de *ordinis sacri Lubecensis meritis* docet B. Sam. Pomarius in eruditissima Praefatione Commentar. in Epistol. Iudae, quae, praeter alia, Ministerii Tripolitani maxima in rem sacram merita exponit. Addi merentur omnino eiusdem elegantissimae Notae ad scriptum, cuius titulus: Hundertjähriges Ehren-Gedächtniß des Christlichen Concordien-Buchs. Lub. 1680. 4. Imo vero ad exemplum summe reu. *Goetzii*, qui *Bibliothecam Anti-Pontificiam Presbyterii Lubecensis* probando valde instituto edidit, possent eiusdem Presbyterii *Bibliothecae Anti-Caluiniana*, *Anti-Fanatica* & plures conscribi. Eiusdem Goetzii *Elogia Theologorum* laudes & merita multorum sacri ordinis Lubecensis virorum complectuntur. Clarissimus etiam Mollerus in Isagog. p. 455. -489 hoc de virorum sanctioris

ctioris ordinis Lubecensis rebus in salutem Ecclesiae praeclarissime gestis argumentum egregie illustrauit.

(7) *Ius Lubecense* omni tempore in magno pretio habitum fuisse, notissimum est. Quare etiam *multae vrbes*, sunt verba Meuii in Dedicat. Commentar. ad Ius Lubec., *in Liuonia, Pomerania, Megapoli, Holsatia & inferiori Saxonia suum illud fecerunt, nec dedignantur sub nomine eodem sibi suisque ius capere & dicere.* Comp. Conringius de Orig. Iur. Germ. c. 28. In primis valet ad Lubecae gloriam iure & legibus accurate obseruatis partam, quod Carolus IV. Imp. Lubecam visendi desiderio flagrans, eamque ingressus feratur dixisse: plurimum se laetari de biga splendidissimarum vrbium, quarum altera Roma, caput mundi, altera Lubeca, corona & decus Germaniae; seque non adeo magnificentiam aedificiorum, quam reipublicae statum admirari. Vid. Sibrandus ad Ius Lubec. & ex eo B. Andreas Langius in eleganti Diss. de Aequitate Iuris Lubecensis Th. VI, quae ab eo Lips. 1703. conscripta & praeside celeberrimo Godofr. Christian. Goetzio defensa. Conf. quae de Iure Lubecensi copiose congessit Cl. Mollerus in Isagog. ad Hist. Chers. Cimb. p. 493. sqq. Add. Cl. Reimmannus Introd. in Hist. Lit. German. P. III. c. 4. p. 360 sqq. Habet quoque Lubeca peculiare *Ius maritimum* quadraginta & octo legibus constans, quod summe reuerend.

rend. Goetzius suo Catechismo Nautarum Lipſ. 1707. 8. edito p. 757 sqq. adiecit. Noua eius editio anno sequenti 1708. 4. prodiit Lubecae, hoc titulo: *Lübeckisches wolgeordnetes Schiff- oder See-Recht, in nachfolgenden Articulen und Puncten, welchen alle diejenigen, so über See gedencken mit zu fahren, gehorsamlich nachleben müssen.*

(8) Conf. omnino Georg. Frid. Neumanni Orat. de Fauore Lubecensium in Exteros Lipſ. 1709. 4. euulgata, quam auctor. an. 1707. d. VIII Cal. Octobr. Lyceo nostro dicens vale recitauit. Inprimis apud Lubecenses celebre est lautum illud *Stipendium Schabbelianum*, cuius ope viri, qui sacrae reipublicae maximo fuerunt ornamento & emolumento, hodieque sunt, adiuti. Magna profecto in Ecclesia nostra sunt nomina Io. Ern. Gerhardi, Ioan. & Bartold. Botsaccorum, Christiani Kortholti, Phil. Ludou. Hannekenii, Guil. Zeschii, Sebast. Niemanni, Ad. Tribbechouii, Mich. Siricii, Iust. Christoph. Schomeri, Hect. Godofr. Masii, Thom. Honstedii, Mich. Vermehren, Zach. Grapii, Io. Herm. Elswichii & plurium, quibus laudatum stipendium larga studiorum subsidia suppeditauit. Conf. Neumannus l. c. p. c. 3. Vnde non inutilem laborem suscepit B. Io. Ehrenfr. Pfeifferus, peculiari scripto ostensurus, *quantum res litteraria Stipendio Schabbeliano debeat.* Vid. Nou. Lit. Mar. Balth. 1704. p. 34.

Imo

Imo ad hoc & alia ſtipendia ac beneficia (quorum copiam demirabitur, qui aliquando leget laudati Mellii *Lubecam Religioſam*) reſpiciens vere ſcripſit de Lubeca noſtra ſumme reu. Wernsdorfius in Progr. Orat. Inaug. Elswichii Wittenb. 1717 praemiſſo: *Floret Vrbs illa gloria, quod pietate ac munificentia erga miſeros afflictosque excellat, ac omnes prope alias beneficiorum multitudine, amplitudine ac facilitate vincat, ita vt litterarum iuxta & litteratorum benignisſima nutrix iure merito ſalutetur.*

(9) Schabbelianum Stipendium habet legem, eum, qui illo fruitur, iubentem, vt collectam doctrinae copiam in publicos etiam vſus convertat ſcriptis vtilibus & reipublicae ſacrae commodum promouentibus ac defendentibus aduerſus Eccleſiae hoſtes. Exhibet legem illam Neumannus l. c.

(10) In Hodoeporic., quod eſt in Iuuenilibus p. 59 ſq. Conf. Ioach. Edelingi Itiner. cum Dau. Chytraeo confecta pag. A. 2.

(11) In Poëmatib. pag. 610.

(12) Exercitat. Medic. de Harengo p. 62.

(13) Chytraeus in Chron. Saxon. P. II. ad anno 1530. d. 28. Octobr. p. 156 *Paulo poſt*, ſcribit, *Ioannes Bugenhagius Paſtor Witteberga euocatus, ordinem concionum & rituum in templis ſcripto complexus eſt, & communem ſcholam in coenobio D. Catharinae inſtituit, cuius Rector primus Hermannus Buſcoducenſis: Conrector Eraſmus Sarcerius Roſtochio euocatus fuit.* In eandem

dem sententiam Mich. Henckelmannus in Orat. de Lubeca *ad huius*, inquit, *scholae gubernaculum primi, Rector Hermannus Buscoducensis, Conrector Erasmus Sarcerius Rostochio euocatus accessere, eamque summa cum sua laude & maximo iuuentutis emolumento feliciter moderati sunt.* A nonnullis vocatur *Nicolaus.* Quae ad Vitam eius pertinent, piis historiae litterariae desideriis sunt adscribenda. Distinguendus interim probe est ab *Henrico Buscoducensi*, cuius Epistolam in causa Sacramentaria ad S. P. Q. Bremensem scriptam exhibet summe reu. Loescherus in Hist. Mot. P. II. p. 172.

(14) In Commentar. de Lutheranism. L. II. Sect. 36. §. 84. p. 219.

(15) Melanchthon in Dedicat. Chron. Carion: *Excelluit ingenio, eruditione, consilio & virtute* Hermannus Bonnus, *qui in inclyta vrbe Lubeca & doctrinae studia rexit & Euangelium docuit,*

(16) Scripta Herm. Bonni sunt:

Farrago praecipuorum exemplorum de Apostolis, Martyribus, Episcopis & sanctis Patribus veteris Ecclesiae, qui docentes verbum Dei & veritatem illius asserentes religioni fideliter patrocinati sunt. Hal. Sueuor. 1539, 8.

Eine korte Vorvatinge der Christliken Lere, vnde der vornemesten Fragestücke, so vnder dem Evangelio gemenliken vörvallen. Magdeb. 1539. 8.

Gecorrigerede Geistlyke Gesenge und Christlyke Leder. Lub. 1545.

Enar-

Enarrationes succinctae & eruditae locorum insignium, praesertim e Paullinis & aliorum Apostolorum epistolis desumtorum, quae singulis diebus Dominicis proponi solent. Basil. 1571. 8.

Institutiones de modo & ratione orandi, seu vere & recte inuocandi Deum. Bas. 1571. 8.

Chronicon Lubecense, quod lingua in inferiori pariter ac superiori Saxonia vsitata, vt & Latina, interprete Iustino Goblero, Goarino, Syndico Lubecensi, euulgatum.

Chronicon Io. Carionis Latine redditum. Hal. Sueu. 1539.

Elementa & Grammatica Latina.

Epitheta boni Magistratus, seu Principis, Latine reddita ex Polluce.

De his scriptis omnibus, vt & ἀνεκδότοις *Agendis Ecclesiasticis Osnabrugensibus: Annotationibus in Acta Apostolorum*, quae in Bibliotheca publica Lubecensi asseruantur, nec non deperdito *Commentario in omnes Veteris Testamenti libros* fuse egit Cl. Starckius in Vita Bonni, docte & diligenter scripta, pag. 106 sqq.

(17) l. c. pag. 94. sqq.

(18) Lapis ossa *Rutenii* tegens haec verba legenda praebet:

Anno 1555. 7 *Octob. Magister Guilielmus Rutenius quondam huius schole Rector pie in dno obdormiuit.*

(19) In Catal. Rector. Lubecens. p. C. 4.

(20) Memoriam *Brassani* tamen conseruare voluit Bangertus in citato Catalogo, infra reddendo.

(21) Elias Maior in Orat. pro Georg. Seidelio ap. Celeberr. Ludouicum P. V. Hist. Gymnas. p. 311 sq. de *Vincentio* nostro *Vir clarissimus*, inquit, *& doctissimus, inprimis bonus Poëta, bonus Orator, bonus Historicus, cuius memoria litteratis eo debet esse iucundior, quo munificentiore largitate etiam post obitum suum Musas pauperiores adiutum iuit. Quemadmodum enim Petrus Ramus ex eo commendatione est dignissimus, quod ingenio, diligentia, assiduitate & opibus etiam suis, quantum in ipso fuit, rem litterariam iuuit ac promouit, instituta Mathematices professione, cui annuum vectigal quingentarum librarum e facultatibus suis attribuit: ita Petrus Vincentius testamento condito Professionem Historicam in hoc ipso optimarum mentium formatorio & officina instituit, legata ad eam rem pecuniae eiusmodi summa, vt ex illius reditibus annuatim Professori Historiarum sexaginta Ioachimici solui possint: Vt taceam, quod idem Vincentius partem etiam suarum facultatum ad ea iuuentutis paupertinae in Academiis sustentandae adminicula, quae stipendia vulgato iam nomine dicimus, destinauerit.* Reliqua ad vitam, fata & merita Vincentii spectantia laudati Ludouici industria l. c. P. I. p. 78. 83. 101. sq. & P. V. p. 310. -317 collecta habemus. Conf. Molleri Isagog. p. 443. Lexic.

xic. Erudit. Germ. p. 2406. Addo solum eius Epitaphium, quod Vratislauiae in Bibliothecae Elisabethanae atrio conspicitur:

PETRO VINCENTIO VRATISLAV.
VIRO CLARISSIMO
DVARVM ACADEMIARVM GRYPHISVV.
ET VVITTEB.
RECTORI
AC TRIVM CELEBRIVM GYMNASIORVM
LVBEC. GORLIC. ET VRATISLAV.
INSTAVRATORI
FELICITER ET SANCTE IN PATRIA
MORTVO
CAL. OCTOBR. A. MDLXXXI. AET. LXII.
MENS. VII.
VVOLFGANGVS ET MARTINVS VINCENTII FRATRES
H. M. P. C.

(22) Vid. Ludou. l. c. p. 313. sqq.

(23) Pantaleon in Prosopogr. Viror. Illustr. p. 556. Alios pluribus de *Magdeburgo* commentatos adduxit Ludouicus, qui ipse etiam l. c. P. I. p. 56 sqq. & P. V. p. 318 sq. de eo est consulendus. Scriptis editis, ibidem diligenter recensitis, dubiam forsan palmam reddet liber ἀνέκδοτος, inscriptus: *Sacra Imperiorum Anchora, seu opus sacrum politicum ex Lutheri scriptis.* Laudant egregium opus & censent dignissimum, quod edatur, Celeberr. Auctores Relatt. Innoxiar. 1703. p. 126 sqq. his verbis, quae h. l. placet exhibere, quoniam Magde-

Magdeburgi characterem & operis laudati praestantiam ac contenta docent: *Es verdienet der selige Jobus Magdeburgius unter den treuen Lehrern des 16. Seculi billig einen Platz, und ist er insonderheit wegen seiner gar sonderbahren Bekandschafft in Lutheri Schrifften, die er in succum & sanguinem convertiret, berühmt gewesen. Ein specimen hievon hat er in gegenwärtigen noch nicht edirten Buch gegeben, welches mit des Auctoris eigener Hand geschrieben, Herr D. Anton Günther Loescher, Hoch-Fürstl. Cammer-Consulent zu Merseburg, besitzet. In selbigen ist alles, was zum Loco de Magistratu gehöret, zusammen aus Lutheri Schrifften getragen, unter gewisse Lemmata gebracht, und hernach die Worte des seel. Lutheri selbst darunter gesetzt worden. In der Vorrede wird gar wol ausgeführet, wie alle Weißheit der Welt, und also auch die politische, wahrhafftig vor GOtt Thorheit sey, und demnach die wahre Politic aus Gottes Wort müsse gelernet werden, aus welchen der seel. Lutherus den rechten Kern zusammen gesucht, dahero ein gewisser Premier-Ministre eines grossen Fürsten Lutheri Schrifften allezeit aufgeschlagen auf seinem Tisch gehabt hätte. Das Werck bestehet in 7 Büchern. Das erste handelt von der Welt und weltlichen Sachen: Das 2. von Reichen und Republiquen: Das 3. von Fürsten und Obrigkeitlichen Persohnen: Das 4. bringt die schönsten Exempel von allerhand Regenten, handelt auch von denen Helden, so GOtt erwecket: Das 5. von Tyrannen und Hoff-Leuten: Das 6. von Gesetzen und Straffen, imgleichen von der rech-*

rechten politischen Weißheit, wie auch von Krieg und Frieden: Das 7. von Gottes Regierung in weltlichen Dingen und Erhaltung seiner Kirche. - - Es wäre zu wündschen, daß dieses Werck, welches schon ehemahls auf besondern Befehl Christiani II. hat sollen gedruckt werden, zum Druck befördert würde, indem gewiss, daß nirgends in der Welt die Lehre von der Obrigkeit besser als in der Euangelischen Kirche und Lutheri Schrifften getrieben wird, &c. Ceterum corrigendus est error Koenigii in Bibl. V. & N. p. 493, vbi noster *Ioannes* vocatur. Alii falso quoque eum dicunt *Freibergensem*, cum fuerit Annaebergensis. Leg. Dieterici non inelegans Diss. de Annaeberga & claris viris inde oriundis p. 49.

(24) *Ramaea Philosophia* vti in multis aliis Germaniae locis, ita Lubecae etiam radices agere voluit. Sed vti ex aliis locis, a Celeberr. Edzardo in Diss. de Statuto Gymnasii Hamburgens. de Philosophia Ramaea §. 3 recensitis, fuit extirpata, ita quoque ex nostro Gymnasio mox iussa est emigrare. Successit enim Hansio Crugerius, qui Romaeam Philosophiam improbauit, quod fecerunt magno numero plures; alii cum temperamento quodam & iudicio: alii sine omni temperamento ac iudicio. In his princeps est Iacobus Carpentarius, cuius insanum erga Ramum eiusque Philosophiam odium licebit perspicere ex his verbis, quae P. IV.

Com-

Commentarior. de Stat. Relig. & Reip. in Regn. Gall. f. 38. b. leguntur: *Petrus Ramus, Regius Professor, eloquentiae & Philosophiae nomine apud omnes celebris, cum in illa scholastica dimicatione varios habuisset aduersarios, Iacobum Carpentarium maxime, illius opera a mactatoribus quibusdam e cellula, in qua latitabat, extricatus, depensa primum pecunia, acceptis aliquot vulneribus, e fenestris deturbatur, ilibusque effusis, ita anxiis ictibus enecatur. Tum adolescentes scholastici insanorum praeceptorum ductu, ilia & cadaver per vias illudentes & scuticis diuerberantes in professionis opprobrium raptant. Lambinus quoque, vir eruditus, Carpentario propter eandem caussam odiosus, metu, ne eo modo, quo Ramus haberetur, ita consternatur, vt intra paucum tempus sit mortuus.* En! barbariem horrendam & truculentam, cui Ramaea Philosophia ansam dedit. Meo quidem iudicio non omnia in hac Philosophia sunt probanda, neque tamen etiam omnia plane contemnenda. Valent hic quoque verba Plinii L. III. ep. 5 *nullum librum* (nullam Philosophiam) *esse tam malum* (malam), *vt non aliqua parte prosit.* Interim maxime vtilia minus vtilibus recte praeferuntur. Sed haec obiter occasione Ramaeae Philosophiae nostro quoque Lyceo olim obtrusae.

(25) ap. Bangert. l. c. p. D. 2. ad quem infra plura de Crugerio annotabimus.

(26) *Otto Gualtperius*, D. a multis Theologis magni fuit aestimatus, & inprimis ab Aegid.

Aegid. Hunnio, quod patet ex Epiſtola ad Virum Magnificum & illuſtrem Hermannum a Dorne, Conſulem Lubecenſem, ſcripta, qua ei Gualtperium Gymnaſio praeficiendum commendauit. Dignam cenſeo hanc epiſtolam, quae hic quoque legatur, licet iam ex ſumme reu. Goetzii Conc. Scholaſt. p. 34 a Cl. Ludouico l. c. P. I. p. 90 ſit repetita:

Gottes Gnade durch Chriſtum, neben Entbietung meiner willigen Dienſte, zuvor.

Ehrnveſter, Hoch- und Wohlweiſer, günſtiger Herr Burgermeiſter. Mir hat M. Georgius Meiſnerus, ſo Ew. Ehrenv. Sohn Hermannum in ſeiner Diſciplin und Inſpection hat, vor wenig Tagen angezeiget, daß zu Lübeck das Rectorat in der Schule ledig, und ein Erbarer Rath darauf bedacht ſey, wie daſſelbe mit einer qualificirten Perſohn anderwerts verſehen und fruchtbarlich beſtellet werden möge. Und weil ihm Andeutung beſchehen, Gedancken darauf zu haben, ob iemand allhie bey uns zu finden, der ſich dieſer Function unterfangen wolte und könnte, hat er deshalben vertraulich mit mir conferirt, und iſt zwiſchen uns Clariſſimi Dni. Doctoris Othonis Gualtperii gedacht worden, welcher bey uns Graecae und Hebraicae Linguae Profeſſor iſt, ob derſelbige vielleicht zu dieſem Officio Scholaſtico ſich gebrauchen laſſen wolle. Dann ob er wol profeſſione Theologus und in Theologia gradum Doctora-

tus

tus vor etlichen Jahren erlanget, iedoch weil er sich mehr auf die Scholasticas Exercitationes Theologicas begeben, mit Lesen, Schreiben, Disputiren, und dergleichen, weder auf das Predigen, und er aber bey einem solchen Rectoratu auch Gelegenheit und Anlaß haben kan, in Theologia, zu voraus in dem lieben Catechismo und Locis communibus, seu Capitibus fidei nostrae die Scholasticam Juventutem zu unterweisen, hielten wir dafür, er würde sich desto eher hierzu bewegen lassen, bevorab, dieweil er der reinen Confession halber alhie von wegen des einreissenden Calvinismi allerley Incommoditaet biß daher erfahren müssen. Demnach als wir mit ihm deswegen geredt, hat er sich gegen uns erklärt, wofern er legitime darzu vocirt und beruffen würde, wolle er eine solche honestam vocationem nicht ausschlagen. Und weil er mich hierauf um Fürschrifft an E. E. ersucht und gebeten, habe ich ihm dieselbige nicht wissen zu verweigern. Denn wiewol ich an ihm in unserm Senatu Academico einen getreuen Collegam gehabt, und für meine Persohn hertzlich wünschen mögte, daß seine Gelegenheit wäre länger alhie zu verharren, er auch mit seiner fürtrefflichen und berühmten Erudition grossen Nutzen biß daher bey der studierenden Jugend geschafft, auch hinfort schaffen könnte: Jedoch weil er eine solche Vocation anzunehmen aus erheblichen Ursachen nicht ungeneigt, habe ich ihm dißfals an E. E. hiermit verschreiben wollen. Und zweifeln wir gar nicht, nachdem er in der Lehr und Confession rein und durchaus (GOtt Lob) richtig, auch darbeneben eines erbarn, Christlichen, friedlichen und löblichen Wan-

Wandels, und denn der Geschicklichkeit, daß er ein solch Munus nach der Gebühr vertreten und verwalten kan, und ohne Zweiffel sein Opera der Schul bey euch zum Aufkommen und Gedeyen, der Jugend zu Gutem, und gemeiner Stadt Lübeck zu sonderlichen Lob gereichen wird, er auch in Fall der Noth, als in unserer Zeit Controversien trefflich geübet, den Herren Theologen daselbsten im Verantwortung reiner Religion einen getreuen Beystand leisten kan; Als zweiffle ich nicht, wofern Rectoratus Scholae vestrae noch ledig, es werde E. E. itztgemeldten Doctorem Gualtperium ihn dißfals günstiglich lassen commendirt und befohlen seyn. Wird er sich Zweiffels ohne vermittelst Göttlicher Gnade also verhalten, daß E. E. wie auch einen Erbarn Rath solcher günstigen Promotion nicht gereuen wird, und bin ichs an meinem ringfügigen Ort nach Möglichkeit zu verschulden geneigt. Hiermit thue E. E. ich in den Schutz des Allmächtigen befehlen. Datum Marpurg den 20. Septembr. A. Chr. 1589.

Euer Ehrnv.

Dienstwilliger

Aegidius Hunnius, D.

Alia ad Gualtperium spectantia a Goetzio l. c. p. 36 sq. sunt annotata. Conf. eiusd. Acta Huberiana, quibus p. 66 scriptum Gualtperi de controuersia inter Theologos Wittenbergenses & Sam. Huberum orta insertum. In primis vero consulendus est Ludouicus, qui l. c. P. I. p. 86-98. P. V. p. 306 sq. tam de

Vita quam ſcriptis Gualtperii copioſe egit. His addi meretur eius elegans multamque eruditionem oſtendens *Melete, ſiue Diſcurſus Hiſtoricus & Didacticus de Magis Theologis & Aſtrologis ex Oriente, ſeu Perſide, in Palaeſtinam deſcendentibus: metropolin eius primo Hieroſolymam, dein Bethlechemum oppidulum tenue viſitantibus, ſpectatum, ſalutatum adoratumque Regem nuper natum, Chriſtum ſaluatorem & Immanuelem noſtrum, venientibus: cum annexa doctrina, quid de facie illuſtri Magis praelucente, & generatim de praeuiſionibus ceteris ex aſtrorum poſitu collectis, ſobrie cenſendum iudicandumque ſit: lectu ſuauis & vtilis*, Lubec. 1606. 4. Ceterum maximae laudi ducitur Magnifico Senatui Lubecenſi, quod hunc virum meritisſimum, cum ſenectutis cauſa muneri ſuo, ſumma cum laude annos triginta & vnum adminiſtrato, amplius praeeſſe non poſſet, honeſtisſime ad vitae vsque finem, quem habuit A. 1624. d. 28. Dec., ſuſtentarit. Praedicat hanc beneuolentiam merito Ludouicus l. c. P. I. 89. 94.

(27) De *Ioanne Kirchmanno*, inſigni quondam Roſtochienſis Academiae & deinceps Athenaei noſtri ornamento, eiusque meritis & ſcriptis ita egerunt B. Iac. Stolterſohtus in Orat. Funebr. Lubecae primum 1643. 4. edita, deinceps Memoriis Philoſophorum Wittenianis inſerta: Celeberrimus noſter Mellius in Notit. Maior p. 25 ſqq: Petr. Baylius T. II. Dictionar. Hiſtorico-Crit. p. m. 1717

ſq

sq & alii, vt mea opera hoc orbis eruditi decus vix videatur indigere. Licebit tamen post laudatos viros obseruare quaedam notatu non indigna. Optimum eius scriptum sine dubio est *Liber de Funeribus* vndiquaque celebratissimus, cuius commendandi causa non repetam praestantissimorum virorum Hieron. Mercurialis, Radulph. Fornerii, Raemundi Massaci, Georg. Remi, Conr. Rittershusii, Iani Gruteri, Dau. Hoeschelii & Mich. Piccarti honorifica testimonia eidem praefixa, sed adducam modo iudicium Iul. Caes. Capacii, vrbis Neapolitanae Secretarii, quod in Illustrium Mulier. & Illustr. litteris Viror. Elogiis Neapol. 1608. 4. editis (libro rarissimo) p. 278 sq. his verbis conceptum: *Nulla de re differentes doctos viros libentius audiui, quam de Gentium funeribus: nihil enim in tota antiquitate curiosius existimaui. De humatione multa ignorabam. De Combustione in varias ferebar opiniones. Verebar, vt a Græcis vterque mos defluxerit, vel a trium Philosophorum dogmatibus. Nam Heraclitus combustionem proposuit, quod omnia ex igne constare dicebat: Thales humationem, vt corpora humore resoluerentur, ex quo omnia procreari arbitrabatur, & Democritus in melle seruanda affirmabat, quae sic reuiuiscere posse pollicebatur. Ignorabam, an Romani ex Graecis exemplum sumserint: nec constabat, quo pacto in rogum cadauer cum lecto collocatum comburebatur, quo pacto legerentur ossa, seruarentur cineres; nescio, quid de lino Asbistino, vel Indico in mentem venerat, quo comburi corpora plerique*

rique tam vere affirmabant, vt vel etiam credidissent, nauibus onerariis opus fuisse, vt comportaretur ad tot corpora comburenda, multaque alia, ad quae ediscenda multorum annorum vsuram contulissem. Cum ecce tibi eruditum opus, a Ioanne Kirchmanno, Lubecensi, elaboratum accepimus, qui fortasse aspernatur Porcachii exiles in ea materie labores (sed plurimi faciendos, quod primus in arenam descendit,) vberius absoluit, quae ille ieiunus inchoavit. Nihil est, quod amplius desideres. Ex optimis quibusque Latinis, Graecisque auctoribus, effossis coementis, nobilissimum sepulcrorum aedificium condidit. Habes itaque indictiua, tacita, vulgaria, plebeia, translatitia, censoria, triumphalia funera; oscula, lotionem, vncturam, vestitum, coronas, lectum, conclamationem, elationem, cantus, tubas, tibias, naenia, ludos, imagines, pheretra, lacertationes, conuiuia, crines, digitos abscissos, insignia, orationes, pyras, decursionem, mactationem, sepulcrorum loca, munera, odores, δῶρα, ψυχαγωγίαν, Leges, Praeficam, vrnas, pacis precationem, ossilegia, sepulcrorum rationem, diuisionem, περιοικομιδήν, simulacra, emblemata, elogia, religionem, violationis poenam, parentationes, Feralia, Nouemdialia, Denicalia, victimas, mensas, aras, inferias, vnguenta, vel χοὰς, Arferiam aquam, vel Arferial, aut Adferial, vt in Glossis, quam Graeci χθόνια λϛτρὰ dixere, vinum, lac & sangvinem, flores taenias, silicernia, Manes, ferales cibos, cuncta praeterea, quae cum in libris, aut in lapidibus legeris, in Nomismatibus inspexeris, in eorum notitiae cupiditatem te impelle-

re

re posse videbantur. Breui scies. Callebis optime, & multa, quae in Poëtis praesertim legendis praeterieras, diligentius cum hac lectione animaduertes.

Tristia cum lacrimis, extinctis, funera praebes,
Perfundisque sacros, macte, liquore rogos.
Viuere sic discis, vasto sic labier orco
Credis & inuersas dum regis arte vices.
Naenia das cunctis: laudes tibi quaeris, & vrnis
Corpora dum seruas, te domus alta teget.

Cum hoc iudicio plurium summorum virorum iudicia possunt comparari. Scaliger in Scaligeran. alter p. 133. ap. Magir. in Eponymolog. Crit. p. m. 495 *Kirchmannus*, inquit, *de Funere est bon. C' est un jeune homme, qui s' en va fait. Il est estudient en Theologie. Il a tres-bien fait de Funere.* Locum hunc non esse corruptum, neque ab ipso Scaligero profectum, quod de multis Scaligeranorum locis idonea ratione adductus credo, ostendunt haec verba Dan. Heinsii in Epist. ad Kirchmanum Lugd. Batau. 1605. scripta: *Scaligero nostro quantum placuerit opus tuum, non facile dixerim. Laudat enim καὶ τὴν ἀφέλειαν in scribendo, καὶ τὴν ἀκρίβειαν in persequendis singulis, quibus nullum volumen par futurum putabamus omnes.* Baelio iudice l. c. *l' ouvrage, qu' il publia de Funeribus Romanorum, lui aquit la reputation d' un très-savant homme,* Quemadmodum vero virtus & gloria nunquam caret inuidia, ita optimo Kirchmanno propter hunc elegantissimum librum labes fuit aspersa. Etenim ob Antonii Borremansii verba: *Kirchmannus multa mu-*

 tuauit

tuauit ex Kornmanni libro de Miraculis Mortuorum, quae occurrunt Var. Lect. c. 4. p. 32, meritissimus vir a Theod. Iansson. ab Almeloveen plagiariis accensetur. Vid. eius Plagiarior. Syllab. in Opusc. p. 189. Quasi vero sequatur: Sunt quaedam apud Kornmannum, quae affert etiam Kirchmannus. Ergo hic est plagiarius. Profecto qui naturam & veram plagiarii indolem, quam Thomasius ac Schwartzius descripserunt, perspectam habet, longe aliud feret iudicium. Editionem huius libri, quae prodiit Amstelod. 1672. 12 appendice & nitidis aliquot figuris auctam esse, obseruat Io. Halleruordius in Biblioth. Curios. p. 182. Bene quoque de Historia Norwegica & Danica mereri voluit Kirchmannus, quod patet ex libro hac inscriptione edito: *Duo Commentarii Historici hactenus inediti, alter de Regibus vetustis Norwegicis* [cuius auctor dicitur Theodoricus Monachus] *alter de profectione Danorum in terram sanctam anno* 1185 *suscepta, eodem tempore ab auctore incerto conscriptus, cura olim & opera V. C. Ioannis Kirchmanni, Lubecens. illustrati, nunc primum editi ab huius Nepote Bernhardo Casparo Kirchmanno, I. V. D.* Amstelod. 1684. 8. Vid. Act. Er. Lips. 1684. p. 431. sq. & Cl. Nicol. Petr. Sibbernius in Biblioth. Histor. Dano-Norvegic. 123. sq., vbi contenta horum opusculorum ex Bibliothecae Lubecensis codice editorum diligenter enarrantur. Scripta Kirchmanni scholastica, praeter nostram, aliae quoque scholae

in

in vſus ſuos conuerterunt. Habemus enim *Tabulas Logicas atque Rhetoricas*, *Praecepta & Regulas Logicas artisque dicendi ex Syſtematibus Ioannis Kirchmanni breuiter continentes & oculis ſubiicientes, vt facili negotio a diſcentibus comprehendi poſſint, conſcriptas a Iohanne Haberland, Rectore Scholae Wittebergenſis oppidanae, in lucem vero editas & exemplis ac notis quam maxime neceſſariis ex variis & optimis auctoribus deſumtis illuſtratas a M. Chriſtiano Haberland, Joannis filio, Scholae Itzeboënſis Conrectore*. Ien. 1664. fol. Libros Kirchmanni non editos magna ex parte *αὐτογράφους* ſeruat Vir maxime reuerendus Io. Melch. Krafftius, Paſtor & Inſpector Huſumenſis, penes quem ſunt aliquot *Epiſtolarum Volumina*: *Commentarius abſolutus in Horatium*: *Orationes*. Opus *de Magiſtratibus Veterum Romanorum* ex MSto codice Bibliothecae Gudianae deſcriptum poſſidet V. C. Michael Richey, Gymnaſii Hamburgenſis hodie Profeſſor meritis inclytus, Fautor & Amicus noſter integerrimus, qui olim in animo habuit, iſtud cum ſuis Notis euulgare, quod ſi valetudo & alia negotia praeſtare permitterent, faceret ſine dubio rem orbi erudito gratiſſimam. Kirchmannum praeterea *de Balneis Veterum* librum exaraſſe, ex Albo Apodemico MSto Ioach. Morſii, Hamburgenſis, multas notatu dignas res complectente, quod poſſidet noſter Mellius, cognoui. Gloriam porro Kirchmanni auget ingens multitudo virorum praeſtantiſſimorum, quos ipſius diſciplina formauit.

Plurimos enim viros egregie doctos & in magnis honoribus & functionibus modo constitutos, ex ipsius disciplina & contubernio, tanquam ex equo Troiano prodiisse, vel ipsa inuidia, si maxime velit, negare tamen non poterit, scribit vere Stoltersohtus l. c. p. F. 4. Cum Stoltersohto omnino consentit Simon Dachius, publicus quondam doctor Regiomontanus, *Erasmo Möllenhofio*, Lubecensi, Ecclesiastae deinceps ad Templum Arcis, olim Scholae nostrae alumno, summos in Philosophia honores an. 1643 hoc carmine gratulatus.

Quod Mullenhoffi, nostra Anctoris vobis
It gratulatum coelicum sophos, hincque
Natos honores laureamque, non tantum
Debere nobis vos, fatemini ipsimet,
Sed & beato optimoque KIRCHMANNO,
Cuius stupendas orbis eruditorum
Miratur artes & scientias rerum.
Quot ille iuuenes misit huc bene excultos
Et lacte distentos fauoque Musarum!
Quicunque ludo prodiere KIRCHMANNI
Hos eruditos esse dixeris tuto,
Hinc transfugis, illinc inertibus demtis
Et quotquot orti sunt Apolline irato
Sata nec astris mente literas tractant.
At hunc dolet Lubeca morte sublatum.
Heu quanta terris, quanta publicae reii
Data est ruina, quanta dulcibus Musis!
Sed hunc loquetur omnibus Virum seclis
Mirator orbis, nescia est mori virtus.
Inter sepulcra interque busta Romana

Et

Et quae libellis scripsit aureis dudum
Surgit perennis. Quique sedulus quaesiit
Ritus sepulcri, repperit sibi vitam.
Tu Müllenhoffi, semper hoc viro gaude
Eiusque cineres sint precare tranquilli
Et rite nobis. His honoribus salue.

Alii celeberrimi viri, qui splendidissima in orbe erudito fuerunt lumina, non minus honorifice de eo senserunt. Sertorius Vrsatus Monumentor. Patauinor. L. I. sect. II. *virum diligentissimum, politissimum, eruditissimum, disertissimum* Kirchmannum appellat. Stephanio in elegantissimis Nott. ad Saxon. Grammat. Histor Danic. L. V. audit *vir ad omnem humanitatem factus & reconditae eruditionis.* Et L. XIV. *eminentissimus Philologus*: liber autem de Annulis *eruditissimus tractatus.* Conf. Magir. l. c. Celeberr. Fabricii Bibliograph. Antiquar. p. m. 569. In primis dignae sunt, quae hic repetantur, laudes Ian. Rutgersii, quibus in Epist. an. 1623. scripta librum de Annulis ornauit: *Perlegi, vir clarissime, & ita me Deus amet, perlegisse iucundum fuit, ea folia, quae e tuo de Annulis libello ad me misisti. Tam enim accurate, tantaque cum eruditione tota historia a te tradita est, vt neque ei ad perfectionem, neque tibi ad summam laudem quicquam deesse videatur.* Plura Kirchmanni & librorum eius elogia leg. in Thomae Pope Blount Censura Scriptor. Celebr. pag. 975 seqq. & Mart. Hankii Libr. de Scriptorib. Rer. Romanar. P. I. c. 89. p. 286. sqq. Ante aliquot etiam annos V. C. Io. Burch. Maius

ius Kirchmannum, vna cum Bangerto & Nottelmanno, instauratoribus bonarum litterarum annumerauit. Vid. eius elegans Progr. de Humaniorum elegantiorumque litterarum Instauratoribus, adiectum Cl. Raupachii Commentat. de Praesenti Rei Sacr. & Litter. in Dania Statu p. 117. Denique liceat hic etiam illud annotare, quod in iuuentute *Ioannem Kerckmannum* se vocarit. Edidit hoc nomine Lubec. an. 1593. 4. egregium Carmen Nuptiale, dicatum nuptiis M. *Georgii Meisneri*, Subrectoris, Praeceptoris sui, quem *bono reipubl. Musarum natum* praedicat, & recte praedicat, quoniam Kirchmannum ipsum erudiuit.

(28) *Sebastianus Meierus* Philosophus, Philologus & Medicus, natus est Lubecae an. 1594. patre Seb. Meiero, ciue honestissimo, qui prudenter admodum scholae publicae, quam tum regebat Otto Gualtperius, eum commisit. In hac humanitatis studiis probe imbutus, anno aetatis decimo & septimo Rostochium abiit, vbi Thomam Raedum, Scotum, Philosophum acutissimum, Eilhardum Lubinum, Ioannem Posselium & plures doctores publicos ea audiuit diligentia, vt altero anno Academico nondum elapso liberalium artium magister iam sit renunciatus, & alios coeperit docere. Cum philosophico deinceps medicum studium coniunxit, eiusdemque excolendi causa tribus annis Academicis Rostochiensibus vnum adiecit. Postea maiorum

iorum profectuum capiendorum causa an. 1614. Wittenbergam profectus est, vbi in primis Dan. Sennerto adhaesit, & scientiam Medicam adeo feliciter didicit, vt summis in hac arte honoribus dignus sit iudicatus. Probat hoc Sennerti testimonium, quo abeuntem an. 1617. Cal. Dec. ornauit, ex quo, post Bangertum, liceat haec verba repetere: *Cum autem studium delegerit Medicum, atque in eo in Academia Rostochiana iam insignes & laude dignos progressus fecisset, vt eius telam pertexeret & feliciter absolveret, diligenter hic laborauit; praestantissimorum Medicorum libros domi studiose euoluit, publice docentes sedulo auscultauit, nec ἐγχειρήσεις Chymicas neglexit. Atque huius suae industriae & eruditionis specimen in ventilatione erudita quaestionum Medicarum publice edidit, vt dubium nobis non sit, quin in eo, quod in animo habuit, suae virtutis & eruditionis praemia in hac nostra, nisi magni momenti res ipsum Rostochium auocaret, petiisset, honorifice consecuturus fuisset, breui tamen vel in alia Academia assecuturum confidimus.* Neque tamen studio Medico deditus linguarum & humaniorum litterarum studia abiecit, sed simul cum eo sedulo tractauit. Quibus rebus factum est, vt Amplissimus Senatus Stadensis eum an. 1619 a Io. Possellio commendatum scholae suae Conrectorem vellet constituere, quod oblatum munus etiam suscepisset, nisi eodem tempore Rectoris Lycei Gustrouiensis sparta ei esset demandata. Hanc cum annos vndecim ornasset, in patriam rediturus,

vo-

vocatus Athenaei Subrector, aegerrime fuit dimissus. Munus hoc cum per anni modo quadrantem administrasset, creatus est anno 1630 Conrector, atque interiectis annis tribus & decem Rector, quem honorem, multum profecto oneris habentem, post annos viginti & vnum cum ipsa demum morte deposuit, vir humanitatis & Graecae Poëseos (cuius documenta extant varia peregregia Graeca Carmina, quae ab harum deliciarum amatoribus non sine insigni voluptate leguntur) valde peritus. Reliquit etiam ingenii monumenta ediditque praeter scripta recensita a Cl. Ludouico P. III. Hist. Scholar. p. 410 sq & P. V. p. 324 sq varia Programmata Actibus Oratoriis publicis praemissa & non ineleganter elaborata, nimirum *de Otio bene collocando* Lub. 1649. 4: *de Verbis Persii: scire tuum nihil est, nisi te scire hoc, sciat alter* 1655. 4: *de Bacchanaliorum Turpitudine* 1655. 4: *de Ritu Vale dicendi*. 1662. 4: *de Vi Orationis*. 1663. 4: Addatur *Programma, quo Menon. Hannekenii, Superintendentis*, Theologi & Philologi mea laude maioris, *lectiones Hebraicas in Auditorio Cathariniano habituri, institutum auditoribus suis commendauit*. Lub. 1654. 4. Neque sunt omittendae *Obseruationes & Notae, quibus anno* 1661 *& 63 Logicam ac Rhetoricam Kirchmannianam* instruxit. Plura de Meiero dabunt Bangertus in Progr. vitam eius describente Lubec. 1664. 4. pl. 3½. Ludouicus ll. cc. & P. I. p. 103: Auctores Lexic. Erud. Germ. p. 1318:

p. 1318: Frid. Thomas, Subrector Gustroviensis, nuper eheu! non sine rei litterariae iactura defunctus, in Analect. Gustrou. p. 65: Ioannes Quistorpius, Ioannes Cothmannus, Casp. Mauritius & reliqui auctores Arae in honorem Seb. Meieri erectae. Rostoch. 1643. 4: Wittenius in Diar. Biograph. ad an. 1664. 12. Febr. Ego coronidis loco adiicio verba, quibus eius effigies, quae in Aede nostra Cathedrali conspicitur, est ornata:

PIÆ MEMORIÆ
VIRI CLARISSIMI ET EXCELLENT.
DN. M. SEBASTIANI MEIERI,
LUBECENSIS
SCHOLÆ PATRIÆ { CONRECTORIS ANNOS XIII, RECTORIS ANNOS XXI.
NATI ANNO CHRISTI cIↄ DXCIV. XXIV. FEBR.
MORTUI ANNO cIↄ DCLXIV. XII. FEBR.

CANA FIDES PIETAS ET MVLTA SCIENTIA RERVM
EFFUGERENT MORSUS SI LIBITINA TUOS,
INCLYTUS OBSCURA NON HAC REQVIESCERET VRNA
MEIERUS MEDICUS PHILOSOPHUSQ. SENEX.
PARS EQVIDEM TUMULO, PARS CLAUDITUR ALTERA COELO
SED FAMAM TOTUS NOMINIS ORBIS HABET.

Fili

Filius eius ERNESTVS MEIERVS Rostochii *Orationem de Ieiunio* habuit, quae ibid. 1643. 4. est edita.

(29) Meretur fama, gloria ac meritorum amplitudo *Henrici Bangerti*, vt, quae ad vitam eius pertinent, ex honorifico & variis laudibus referto Programmate Ioannis Polzii, Conrectoris, Lubec. 1665. 4. edito & hodie rariori integra hic inserantur, quo de vita Bangerti fide digna possint legi. Ita autem Polzius pag. A. 4. sq: *Natus est b. m. Henr. Bangertus anno a nato Christo* 1610. *die Martii* 20. *ex parentibus pietatis honestatisque amantibus. Locus, vbi vitales haurire auras ei contigit, est in Comitatu Waldeccensi* (vnde quaedam etiam de eo habet Schumacherus in Conspect. Waldecc. Lit. p. 30), *nomine Sudeck. Postquam in scholis patriis iis artibus, quibus tenerior aetas ad humanitatem imbui solet, eruditus erat, iam maturior aetate & indicio, forte non sine auctoritate annis maiorum & prudentiorum ad Academiam se contulit Marpurgensem, tunc temporis hominibus doctissimis artibusque liberalibus abundantem. Hinc, propter grassantem pestilentiae saeuitiam vna cum coetu* Ac*ademico Giessam se transportare coactus est. Vtrobique suam in studiis industriam, in vita pietatem & probitatem ita probatam dederat, vt publica honesti officii functione censeretur dignus. Itaque prae aliis Clariss. Dominorum Professorum commendatione ad Conrectoris Scholae Mindanae officium est vocatus. In eo fungendo ita se gessit, eamque sibi peperit famam, vt ad altiora videretur euehendus,*

du & anno 1636 *inde ad Rectoratum Scholae Oldenburgicae sit vocatus. Hic, cum vitae coelibi perpetuo agendae se minus sentiret idoneum, thori sociam quaerere instituit: quaerentique oblata est diuina sic aurigante prouidentia, Virgo & forma & pudicitiae virtutumque laude praestantissima Maria, Viri amplissimi ac consultissimi Dn. Andreae Fritzii, I.V.L. & ciuitatis* Oldenburgicae *Syndici, filia dilectissima. Haec ambienti a parentibus denegata non est, quippe quem haberent dignum, cui suam committerent filiam, eique desponsata est d.* 7 *Martii, an. Chr.* 1637 *Mensis vero Septembris die* 27 *nuptiae sunt celebratae, quae nec inauspicatae, nec steriles fuere. Quippe cum felix maritus ex suauissima sua Maria susceperit integram librorum dodecada, masculi quidem sexus VII, femellas vero V, qui numerus adeo ad paucos redactus est, vt duae solae superstint filiae, iam cum matre vidua in luctu grauissimo. Anno demum* 1643. *Magnificus huius Ciuitatis Senatus, celebri Bangerti fama promotus, ad Prorectoratum suae Scholae eum Oldenburgo euocandum censuit: quam vocationem ille non spernendam ratus huc sese contulit. Anno* 1643 *d.* 13 *Iul. prouinciam docendae iuuentutis suscepit, susceptam cum doctorum virorum approbatione, magnoque discentium fructu, licet non sine labore annos XXI administrauit. Tandem ab obitu Dn. M. Seb. Meieri, b.m. qui pridie Idus Februarias anni* 1664 *contingebat, scholae cura ipsi concredita Rector designatus est. - - - Mortalitatem exuit pie ac placide huius anni* (1665) *die Iun. vltimo.* Haec de Vita Bangerti habet Polzius, qui tamen scri-

ſcriptorum eius plane nullam mentionem iniecit. Quare operae pretium me facturum puto, ſi eorundem catalogum pleniorem, quam adhuc quidem vllo in loco offendimus, hic ſiſtam. Sunt autem ſcripta Bangertina

Progr. de Imitatione Auctorum. Oldenburg 1641. 4.

Ioab, ſeu Actus Oratorius, in quo Dauid conſultat cum optimatibus ſuis, Ioab an Amaſa ſit Dux exercitus conſtituendus contra Sebam. ibid. 1641. 4.

Simei, ſeu Actus Oratorius, in quo Dauid conſultat cum optimatibus ſuis de delicto Simei, ex 2. Sam. 16. & 19. adornatus. ibid. 1641. 4.

Progr. ad Act. Orator de tribus Linguis Hebraea, Graeca, Latina. ibid. 1642. 4.

Progr. de Labore. ibid. 1643. 4.

Oratio panegyrica in Inaugurationem noui Auditorii, Scholae Oldenburgenſi adiuncti. Vid. Ludou. l.c. P. V. p. 326.

Oratio Funebris Magnifico & Nobiliſſimo Viro. Dn. HENRICO COLERO. Conſuli Lubecenſi primario habita. Lubec. 1644. 4.

Chronica Slauorum Helmoldi, Presbyteri Boſouienſis & Arnoldi, Abbatis Lubecenſis, in quibus res Slauicae & Saxonicae fere a tempore Caroli Magni vsque ad Ottonem IV, ſeu, ad an. Ch. CIↃ C C IX exponuntur. Henricus Bangertus e MSS. codicibus recenſuit & Notis illuſtrauit. Lubec. 1659. 4. Hoc opere omnium maxime viam ſibi ſtra-

ſtrauit ad immortalitatem, atque maxima obtinuit praeconia, quae hic non opus eſt cumulare, quia a Cl. Mollero in Iſagog. p 440 ſqq & in Diatriba Hiſtorico-Crit. de Helmoldo §. 13.14 diligenter ſunt collecta. Nouam igitur editionem vtique meretur hoc opus (cuius copia in nonnullis hodie locis difficulter admodum fieri poteſt), quam cum a me deſideraueritBoeckmannus noſter, conatus eius honeſtisſimos omni ratione me iuuare velle promiſi. Dabo igitur poſt exantlatum hunc & paucos alios labores operam, vt publici denuo iuris fiat Bangertina Helmoldi & Arnoldi editio, augenda a me noua Praefatione & nonnullis Notis. Si Numen dabit vires, mihi non deerit voluntas.

Grammatica Hebraea cum Tabulis Synopticis viri admodum reuerendi & excellentiſſimi D. Menonis Hannekenii, SS. Theol. Doctoris & Eccleſiae Lubecenſis Superintendentis grauiſſimi, in gratiam Scholarum auctior & noua forma, eaque Tabulis accommodata, edita, accurante M. Henrico Bangerto. Lubec. 1660. fol.

De Magnifici Viri Dn. ANTONII COLERI, *ICti, Reipublicae Lubecenſis Conſulis & Haereditarii in Bleyſtorff, &c. ortu, vita & exceſſu commentatio.* Lubec. 1662. 4. Alph. I. pl. 20. Scriptum hoc & comtum eſt & eruditum.

Diſſertatio de Poculo Iouis Seruatoris & boni genii. Lubec. 1663. 4. Huius pereruditae Diſſertationis, quae recudi omnino meretur,

contenta haec ſunt: 1. Iupiter a Graecis σωτὴρ dictus. 2. Διῒ σωτῆρι templa fuere condita. 3. Etiam Romani Iouem ſeruatorem coluerunt. 4. Graeci poculum ἀγαθȣ̃ δαίμονος merum biberunt. 5. Tria pocula miſcuerunt, in quibus Διὸς σωτῆρος. 6. Super coena datum poculum ἀγαθȣ̃ δαίμονος: poſt illam Διὸς σωτῆρος. 7. Iouis poculum ſaepe magnis hauſtibus biberunt. 8. Boni genii crater ſuper coena repetitus eſt. 9. Idem crater ſub finem coenae, cum menſae remouerentur, circumlatus. 10. Etiam Mercurii poculum propinatum. 11. Et poculum cum imagine mortis. 12. Tres Gratiarum & nouem Muſarum cyathi interdum additi ſunt. 13. Is mos ad Romanos tranſiit. 14. Alia ſapientum pocula: alia aliorum. Poſt Bangertum idem argumentum tractandum ſibi ſumſit Chriſtian. Gotthold. Wiliſchius, qui Lipſ. 1718. 4. de poculo Boni Daemonis Diſſertationem conſcripſit.

Epiſtola ad Adrian. Langerfeldt, μελετήματα ſua de Calendario Iuliano & Gregoriano deque Paſſione Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti edentem. Lubec. 1663. 4. Ipſe Langerfeldius eod. an. publicauit Epiſtolam, qua Calendariorum tam Iuliani, quam Gregoriani origo, mutationes earumque cauſae enucleantur.

Orationes duae habitae in Schola Lubecenſi XV. Mart. 1664, *cum Magnificis Dnis Conſulibus praeſentibus*

tibus M. Henricus Bangertus Rector Scholae renuntiaretur. Adiectus est Catalogus Rectorum ceterorumq; Collegarum Scholae eiusdem, nec non Amici cuiusdam gratulatio. Lubec. 1664. 4. Prima est *Dav. Gloxinii*, ICti & Syndici, qui, nonnulla praefatus de Scholarum necessitate, ipsam Bangerti initiationem his verbis auspicatur p. A. 2: *Amplissimus Reipubl. nostrae Senatus sibi impense gratulatur in praesens, vbi post beatam ex caduca hac in coelestem vitam Clarissimi viri M. Sebast. Meieri, Scholae huius, dum viuebat, Rectoris optime meriti migrationem, in eiusdem locum sufficiendus alius erat, se tanta cura & sollicitudine eo tutius securiusque supersedere potuisse, quandoquidem Tu, clarissime vir, M. Henrice Bangerte, hac ipsa in schola nostra per hos viginti, & qui excurrunt amplius, annos praeclaram eruditionem tuam, fidem singularem ingeniique dexteritatem atque exquisitissimam industriam omnibus ita probasti, vt non tantum communi atque vnanimi bonorum doctorumque suffragio, qui vita nuper functo in munere succedas, iudicatus dignus sis, sed ipsamet potius merita tua ad hocce honoris & dignitatis eminens fastigium te nescientem pertraxerint. Cum itaque solenni Patrum Conscriptorum omnium in id consentientium Senatus consulto Scholae huius nostrae in posterum Rector electus & designatus es, atque ego, vt hoc ipso die te renunciem, iussus sum; Quod felix & faustum & vniuersae iuuentuti, adeoque ipsi Reipublicae salutare & prosperrimum eueniat, te, publica*

Amplissimi Senatus, quae mihi demandata est, auctoritate Rectorem illustris huius Gymnasii creo, declaro & renuntio. Disciplinae quoque restitutionem nouo Rectori his verbis commendat: *Collapsam hactenus immane quantum scholasticam disciplinam pristino vigori suo restituere anniteris.* Altera oratio est ipsius Bangerti, in qua pleraeque scholae antiquae, gentiles pariter ac Christianae, breviter recensentur, & Ioanni Polzio munus Conrectoris demandatur. Gratulatio elegans adiecta est Io. Franckii, D., amici Bangerti integerrimi. Gratulati, praeter hunc, sunt Bangerto Henr. Meibomius, D. G. Morhofius, Mich. Kirstenius & alii.

Progr. ad Oratt. de Ichneumone & de Prudentia. Lub. 1664. 4.

Progr. de Verbis Platonis: ὦ Ξενόκρατες, θῦε ταῖς χάρισιν. a. e.

Progr. de Iosepho Vendito. a. e.

Progr. de Verbis Mentii, Philosophi Sinici: Regi summae curae scholae studiaque sunto, vt iuuenes puerique dicto audientes esse discant, majoresque natu reuereri, praemissum Introductioni Dau. a Brügge, Subrect. a. e.

Progr. ad Oratt. de Litterarum Studiis. 1665.

Progr. de Studiis Theologo necessariis. a. e.

Progr. de Eloquentia, quod, ob praestantiam, post mortem Bangerti edidit Io. Polzius, Conrector. 1665. 4.

Programmatibus Funebribus cura saepius laudati

dati Ludouici l. c. P. V. p. 327 iam recensitis addi meretur Επιτάφιος *memoriae Elsabae Francken scriptus.* Lubec. 1664. 4. pl. 7. Multa enim continet singularia, e quibus liceat h. l. ea annotare, quae p. B. habet de *Stephano Döringio*, pistore Lubecensi. Hunc enim, refert, sacrum codicem non solum saepissime legendo absoluisse, sed etiam multorum Theologorum vernaculo sermone in eum commentatorum libros sedulo peruolutasse. Praeterea manu sua consignasse litteris *Chronicon Lubecense*, Bangerto iudice, *non indiligenter compilatum: Seriem Consulum & Senatorum Reip. Lubecensis, additis singularum familiarum insignibus, colore eleganter artificis manu depictis: Confessionem fidei suae: eximiarum Precum & dictorum S. Scripturae Volumina: Congeriem selectissimorum locorum ex scriptis Lutheri & Ecclesiae Patrum: Rhythmos Germanicos*, quos Bangertus dicit *satis ad numerum & leges Germanicae poëseos convenientes, in primis vero diuino sensu plenissimos & a se non sine animi affectu lectos.*

Historiam Lubecensem, quam moliebatur, ab eo non fuisse absolutam & in lucem emissam cum Cl. Mollero Isagog. p. 440 sq. atque aliis merito dolemus. Nam quid in ea praestare potuisset, Notae in Helmoldum & Arnoldum satis demonstrant. Ex hoc vngue leonem.

(30) Commentar. de Vita & Scriptis Casp. Sagittarii p. 11. sq.

(31) Vid. Henr. Meibomii Epiſtola infra, vbi de ipſo Meibomio commentabimur, integra repetenda.

(32) *Hermanni Nottelmanni* merita egregia in Athenaeum noſtrum requirunt omnino, vt eius memoria, alias raro inuenienda, hic conſeruetur. Produxit autem virum praeſtantisſimum Flotha in Weſtphalia, vbi an. 1626. d. IV. Sept. patre Bertramo Nottelmanno, Quaeſtore, matre Margaretha Landsbergia eſt prognatus. Bonarum litterarum fundamenta iecit in ſcholis Herfordiana, Bileſeldenſi & Osnabrugenſi, tanta felicitate, vt non vulgares in arte dicendi & Philoſophia haberet profectus, cum an. 1648. aetate & ſtudiis maturis in Academiam Iuliam ſe conferret. *In Osnabrugenſi Gymnaſio*, ſunt verba Io. Polzii in Progr. Funebr. p. B. 2. *eam adhibuit induſtriam, vt ii, quos tum habuit condiſcipulos, vno teſtati ſint ore, in exercitiis oratoriis & philoſophicis parem habuiſſe neminem, tantum abeſt, vt ſuperiorem, adeo vt etiam Graeco & Latine verſo ſermone, praeſentibus & Regum & Principum Legatis, cum laude ſpecimen ſuae eruditionis publice ediderit.* Continuauit hanc diligentiam Helmſtadii & ſcholis Horneianis, Conringianis, Feldenianis, Homburgianis ſedulo per triennium interfuit. Inde abiit an. 1651 Lipſiam, qua Academia perluſtrata, nobili cuidam iuueni doctrinae & morum magiſter fuit praefectus. Tandem innotuit eius virtus Illuſtrisſimo ac Celſisſimo

Prin-

Principi CHRISTIANO, Duci Brunſuicenſi ac Luneburgenſi, qui eum iuſſit munia Ephori Nobilium & Profeſſoris in Gymnaſio equeſtri Luneburgenſi obire. Hanc ſpartam valde honorificam permutauit cum munere Rectoris Lubecenſis, anno 1666 poſtrid. Calend. Mai. ſolemni ritu inauguratus. Gratulantem ſibi nouam dignitatem habuit David. Brüggium, Subrectorem, nitidum hoc carmen pangentem:

Senſerat auricomus Titan Paeana ſub antris,
Qua Lubeca viret, concinuiſſe Deas;
Senſerat & ſecum: quae iubila laeta cientur?
Cui pater Aonidum pollice tangit ebur?
Exultare nouo viridantis culmina Pindi,
Et iuga Parnaſſi fundere dulce melos.
Dulce melos fundunt Nymphae, gens accola Trauae;
Traua magis laeto murmure voluit aquas.
Omnia iam plaudunt: reſonat concentibus aether,
Et fractos reddunt littora pulſa ſonos:
Fronde ſub vmbroſa condens ſe Daulias ales
Cecropio fingit gutture dulce melos.
Nuncia veris amans tremulis quoque ſubvolat alis,
Voce ſuum Tireli dulciſonante canens.

Floraque purpurei gratisſima filia veris
Formoſam variis floribus ornat humum.
Laetior auratis vernans Roſa purpurat hortis
Et gaudet riuus mobilitate loquax.
Deſcendam, dixit, propius ſenſiſſe iuvabit;
Deſcendens talem percipit aure ſonum:
Nottelmannus erit Muſarum nobile ſidus;
Hic poſthac Pindo lumina amica dabit.
Obſtupuit nitidae lucis pater, ac deceſſit,
Saepius haec triſti triſtia mente movens:
Siccine ſordeſco Phoebus? mea lumina condam
Obſeptus tenebris: fabula namque ſumus.
Olli ſubridens hominum ſator atque Deorum,
Qui regit aſtra poli talia dicta dedit:
Non ita, Phoebe, para ſubducere lumina terris;
Praebebis mundo lumen, vt ante, tuum.

Diuiſum

Diuisum imperium sed Nottelmannus habebit:
Lumina tu terris, mentibus ille dabit.
Vno quae nuper, gemino iam Sole triumphet
Lubeca & plausus tollat ad astra nouos.
Continuo Phoebus meliores spargere flammas
Incipit, & complet solis vtramque domum.
Fundimus hinc Soli simul indoctique sophique
Carmina laeta nouo, vota, precesque pias.
O niteas, lux magna, diu: moestissima per te
Barbaries frangi squalida regna gemat!
Pelle procul Clario densissima nubila colle,
Vt retegat clausas vmbra fugata vias.
Inque viam vt redeat Phoebo sacrata iuventus,
Da, noua Lux, cursus da, Cynosura, nouos.

Non luxit autem diu lumen Nottelmannianum, sed anno 1674. d. 5. Sept. morte viri optime meriti est extinctum. Ingenii monumenta pauca quidem, elegantia tamen, reliquit. Horum, quotquot mihi innotuerunt, indicem subnectam:

Progr. *de Ornamentis quibusdam Lubecae.* Lub. 1666. 4.
—— *de Affectibus moderandis.* a. e.
—— *de Cicerone in primis legendo.* 1667.
—— *de Oratione moribus oratoris conueniente* a. e.
—— *de Amore in patriam.* 1668.
—— *de Laudis Honorisque desiderio, omnibus fere communi.* a. e.
—— *de Viuendi Regulis.* a. e.
—— *de Concordia.* 1669.
—— *de Symbolis Imperatorum Saluii Ottonis, Auli Vitellii & Fl. Vespasiani.* a. e.
—— *de Mutatione Rerumpublicarum.* 1670.
—— *de Ingeniorum in cognatis dissimilitudine.* a. e.
—— *de Traiani & Hadriani Symbolis.* 1671.
—— *de Educatione Iuuentutis.* 1672.
—— *de Symbolis Antonini Pii & Antonini Philosophi.* a. e.

Oratio Funebris memoriae maxime reuerendi atque excellentissimi viri, Dn. Menonis Hannekenii, SS. Theol. Doctoris eiusdemque in Acad. Marpurg. Prof. quondam celeberrimi, Ecclesiarum Lubecensium Superintendentis a multis annis optime meriti, consecrata & in auditorio maiori Lycei Lubecensis publice recitata. Lubec. 1673. 4. pl. 5.

Programmatibus Funebribus a Ludouico l. c. P. V. p. 328. iam notatis addi potest illud, quod scripsit an. 1671. in funere *Pauli Neucrantzii*, Medici & Physici Lubecensis celeberrimi, nati

nati Roſtochii, creati a Magnifico Senatu Lubec. an. 1655 Phyſici, & an. 1671. d. 24 Mai. defuncti, viri, qui praeclarisſima eruditione & maxima ſcientia Medica, cuius documenta extant libri *de Idea perfecti Medici: de Harengo* & *de Purpura*, inſignem famam eſt conſecutus.

(33) De *Abrahamo Hinckelmanno* non opus eſt multa hic commemorare, ſiquidem eius Memoria, ſcriptorum potiorum catalogum adiectam habens, Memoriis Theologor. p. 597 ſeqq. a ſumme Venerando Pippingio inſerta. Auctor eius, ni fallor, eſt celeberrimus Fabricius, qui de Hinckelmanno, Rectore Lubecenſi, ita iudicat p. 598: *Non poterat in oppido Gardelegienſi latere eius virtus, quin potius in patenti magis theatro quae ſe exereret, digna iudicata fuit ab Amplisſimo vrbis Lubecenſis Senatu, qui eum an. 1674. ſui Rectorem Gymnaſii eſſe voluit. Et paruit ille lubens, laboribusque ſcholaſticis ibidem per vndecim fere annos ſumma fide tantaque cum felicitate incubuit, vt Viros Eccleſiae & Reipublicae ſumma cum laude praefectos plures ex ſua diſciplina prodiiſſe poſt aliquot interualla laetus animo conſpexerit. At nec intra hoc Gymnaſium, vtut illuſtre ſatis, doctrina eius contineri potuit.* In eandem ſententiam dicit S. H. Muſaeus in Epiſt. ad Hinckelmannum ſummos in Theologia honores d. 7. Nov. 1687 capientem, ac praeter alia egregia, teſtatur, *cum rarisſimae ſuae eruditionis ſemina innumeris diſcipulis in Gymnaſio Lubecenſi inſtillaſſe.* Egit de eo etiam

Cl.

Cl. Ludouicus l. c. P. I. p. 104. ſqq. P. V. p. 328 ſqq. Ab his allata lubet tamen augere verbis, quae B. Martinus Lipenius, Conrector, abeunte a Gymnaſio noſtro Hinckelmanno, Albo inſcripſit: *Clariſſimus & mihi ſemper chariſſimus DN. ABRAHAMVS HINCKELMANNVS, per XI. annos, & quod excurrit, Rector, d. XIX. Iulii electus d. XXII Vocationem accepit, die vero III Auguſti M DC LXXXV hinc Hamburgum abiit, cum antea diſcipulis publice, & nobis Collegis itidem in Collegio vale dixiſſet, cum multis & magnis animi motionibus. Bene Hinckelmanno, bene & nobis ſit, per Dominum noſtrum I. C. Amen!* Diſcipulos ſummus hic doctor habuit non paucos ingratos, vt ex Albo noſtro apparet; multos tamen etiam gratos, quos inter ſuum quoque nomen profitetur *Georgius Cläden*, Secretarius de ciuitate Flensburgenſi (quam Deus ſeruet omnique felicitate exornet!) per multos iam annos optime meritus, cuius vti honorifica fit in Albo noſtro mentio, ita ille grati animi oſtendendi cauſa Praeceptori quondam fidelisſimo decus in ſanctiori ſcientia ſummum *Omine Cabbaliſtico* Kilon. 1687. 4. eſt gratulatus. Ceterum h. l. iuuat etiam meminiſſe, dudum optaſſe Celeberr. Fabricium, Polyhiſtorem Hamburgenſem, virum ad ornandas amplificandasque bonas litteras natum & factum, vt B. Hinckelmanni *Detectio Fundamenti Boehmiani*, ſolide & erudite Germanico ſermone elaborata, in gratiam exterorum, Latine verteretur, mihique auctorem

exti-

extitisse, vt huic labori me accingerem. Ego viri optimi desiderio refragari, religioni fere mihi duxi. Quare aliquot iam folia in Latinum sermonem transfudi. Quando vero toti huic labori finem sim impositurus, ob negotiorum, quibus obrutus sum, & quotidie obruor, multitudinem definire non audeo. Scriptis Hinckelmannianis a Pippingio recensitis addi meretur *Vita D. Sam. Pomarii*, Superint. Lubecensis an. 1683. fol. Germanice euulgata. Neque tacenda sunt *Programmata Lubecensia* elegantissima *de Eruditione Profana* 1675: *de Eloquentia* 1676: *de Patriarcharum Scholis* 1676 & 1677: *de Carthaginensium in Americam Nauigatione* 1680: *de sacrificiis Ebraeorum* 1682: *de Messiae Passione Veteribus Ebraeis nota* 1683. *f.*

(34) In Bibliothec. Eruditor. Praecocc. p. 167. sq.

(35) Pipping. l. c. p. 601. Ludou. l. c. P. I. p. 105 sq.

(36) *Enochus Suantenius*, qui in Lexic. Eruditor. Germanic. p. 2218 cum ENOCHO SVANTENIO, Theologo Rostochiensi, errore satis crasso confunditur, ipse vitam suam his verbis descripsit: Natus sum die XI. Martii An 1652 Rostochii, parentibus Enocho Suantenio, D. & Professore Theol. Ecclesiaste Aedis D. Iacob. & S. Crucis, & Catharina, filia Viri Dn. Ioannis Tarnouii D. & Profess. Theol. in Academia Rostochiensi percelebris. Solide inculcatis a parente pietatis, doctrinae ac morum institutionibus, priuatae Virorum iam vel Professorum, vel Ecclesiastarum infor-

formationi commiſſus ſum. Inde an. 1667 ad Academiam Kilonienſem miſſus, aedibus, conuictu & informatione Dn. D. Matthiae Wasmuthi, Theol. extraordinarii, Linguarum vero orientalium tunc ordinarii Profeſſoris perfruitus ſum, eius fideli ac ſolerte per triennium vſus in ſtudiis praecipue Philologicis opera. Theologiae Dn. Profeſſores celeberrimos, Dn. D. Petrum Muſaeum & Dn. D. Chriſtianum Kortholtum, in Philoſophicis vero & Matheſi viros vbique decantatos Dn. D. Morhofium, D. Reiherum, D. Tribbechouium, D. Franckium auſcultaui, & ante abitum Kilonii elaboratam a me Diſputationem de Nomine tetragrammato יהוה ſub praeſidio Dn. D. Wasmuthi publice defendi. Hinc volente Patre Roſtochium reuerſus, an. 1670 ſtudia Theologica continuaui, & an. 1671 Diſputationem, quam ipſe auctor conſcripſeram, de Columba ſuper capite Chriſti in Jordane viſa, praeſide viro magno & excellentiſſ. Dn. D. Auguſto Varenio, Profeſſ. Pr. Theol. Conſiſtorii Ducal. Aſſeſſore grauiſſimo, publico expoſui examini. Hinc Ampliſſ. Facultate Philoſophica Roſtochienſi inuitante & Patre ſtimulante, praeuiis examinibus tam priuato quam publico, Magiſter Philoſophiae An. 1671 menſ. Octobr. renunciabar. Iſthoc gradu incitante ad Regium Pruſſorum montem an. 1672. me contuli, habitaque pro Receptione in Facultatem Philoſophicam diſputatione ſolenni, opponendo, prae-

praesidendo, aliisque collegiis philosophicis & philologicis studiosae iuuentuti operam lubentem consecraui, fruitus contubernio viri maxime reverendi & ampliss. Dn. Georgii Dammii, D. Theolog. Excellent. & Pastoris Palaeopolitani fidelissimi, nec non Sambiensis Consistorii Assessoris grauissimi. A parentibus inde domum reuocatus, postquam Gedanum, Elbingam, Stolpam, Stetinum, aliasque praecipuas videram ciuitates, Rostochium redii, parentibusque filialem morem gesturus, iis, qua potui pietate & reverentia assurrexi. Cumque anno 1675. vterque parens mortalibus eximeretur rebus, liberiorem nactus peregrinandi occasionem, in Daniam primum abii, commoratus aliquantisper Hafniae, lustratisque Croneburgo & Helsingora, in Belgium contendi an. 1676. Visis Franekera, Medemblico, Horna, Enckhusa, Amstelodamum perueni, per aliquot septimanas ibi moratus, vt notarem obseruatu digna. Hinc Harlemum, Hagamque Comitis perlustrans, Lugdunum Batauorum concessi, ibi, sicut & Vltraiecti, per aliquod temporis spatium Bibliotheca & Dnn. Professorum familiaritate detentus. Delphos deinde & Roterodamum veniens Brielam migraui, vt in Britanniam transfretarem. Haruicum ergo delatus, statim Londinum amplissimam vrbem petii, obseruataque magnifica Consulis Londinensis inauguratione, Oxonium me contuli, per quatuor, & quod excur-

excurrit, menſes celeberrima Bibliotheca Bodleio-Seldeniana quotidie vſus. Inde Cantabrigiam, alteram Angliae Academiam, profectus, eius pariter Bibliothecam in vſus meos adhibui. Anno 1678 per Flandriam & Brabantiam perluſtratis Antwerpia, Bruxellis, perque Seelandiam Middelburgo, Dordraco & Nouiomago, vbi tunc pacis negotium ratum fiebat, ex Anglia Roſtochium redux, vrgente beneuolo Collegii Ducalis arbitrio, quod me nec opinantem nec ſcientem Sereniſſ. Duci ac Dn. Dn. GVSTAVO ADOLPHO, Duci Mecklenburgico Guſtrouienſi nominarat, ab eo ſimpliciter indulgente vocatus ſum ad Profeſſionem Poëtices, adque eam d. XV Nov. an. 1678 habito ſermone metrico heroico de Poëta Oratore ab Auguſtiſſ. Viro Dn. D. Varenio, tunc Magnifico Vniverſitatis Rectore introductus. Ann. 1686. a Magnifico & Nobiliſſimo Senatu inclytae Imperialis ac liberae Vrbis Lubecae vocatus, vt Rectoris Gymnaſii & Scholae munus ſuſciperem, & curam vtriusque haberem menſe Auguſto eo conceſſi. Introductus deinde ad officium d. 16. Auguſt. a Nobiliſſimo & Excellentiſſ. Dn. Radouio, Syndico Reipubl. Lubecenſis ampliſſimo, adhuc dum operoſis moleſti ac puluerulenti officii curis diſtringor. Haec de vita ſua reliquit ipſe Suantenius, qui an. 1717. d. 23. Iul. caelebs ex hac vita migrauit, cum anno praecedente lapidi ſuo ſepulchrali haec verba incidi iusſiſſet:

POST

POST VARIOS MOTUS
VITÆ AC OFFICII
CUPIT QUIESCERE
ENOCHUS SUANTENIUS.
R.
A. MDCCXVI.

Laudes eius continet Epitaphium, quod in Templo Cathariniano haec verba legenda praebet:

D. O. M. S.
MEMORIAE VIRI INCOMPARABILIS ET POLYHISTORIS CELEBERRIMI DN. M. ENOCHI SVANTENII NATI D. XI MARTII A. MDCLII ROSTOCHII STVDIIS ABSOLVTIS ET ITINERE BORVSSICO BELGICO BRITANNICO FELICITER CONFECTO PRIMVM AD PROFESSIONEM POETICES IN ACAD. PATR. A. MDCLXXVIII. AD RECTORATVM DEINDE LYCEI LVBECENSIS A. MDCLXXXVI VOCATI EXACTIS IN HOC OFFICIO XXXI ANNIS D. XXIII IVLII A. MDCCXVII PIE DEFVNCTI MOESTI POSVERVNT HAEREDES.
QVAERIS QVIS FVERIT SVANTENIVS
OPTIME LECTOR!
CARMINE VIRGILIVS, TVLLIVS ORE
FVIT.

Scripta in ἰδιοβιογραφίᾳ non memorata ſunt:

Imperatores Romani a Caio Iulio Caeſare ad Leopoldum carmine heroico deſcripti, una cum ma-

xime memorabilibus omnium a Christo nato seculorum. Accessere quoque Symbola vniuscuiusque Imperatoris, versiculis inclusa. Rostoch. 1668. 8. Huic iuuenili scripto Henricus Dringenbergius, doctor publicus Rostochiensis, praefixit Epistolam, mirum in modum Suantenium laudantem. *Quam mentem*, inquit, locutus de historiae & humanitatis hostibus, *tantum abest, uti imbibisse existimandus sit laudatissimo patri cognominis aeque laudatus filius Enochus Suantenius, vt potius elegantiarum inter ceterarum studia hanc praecipue partem arriperet, circa quam tractandam excolendamque opera atque industria sua occuparetur. Hinc nata iuueni ista Imperatorum Romanorum Historia, versu sermoneque adeo ligato (dici enim nequit, quanto diuinissimae etiam coelumque ac tellurem i. e. omnia complexae Poëseos amore attineatur) consignata. Qua in re habet quidem, sed oppido sibi paucos praeeuntes, Qui parili cura atque sedulitate negotium versarint, vix repereris vel vnum. Iuvenile est quidem, fatemur, si annos scribentis metiaris, opus; virtutem si consideres ac τὸ stili κόμψον, iurare habeas, non nisi abs perfectae subactaeque aetatis viro compositum. Adeo quo iuuenis ingenio sit, illustria inibi deprehendere est & non vna documenta. Quidque adeo sit mirum, heic belle functum Enochum officio, vt cuius sagacissimae capacissimaeque menti nil omnino sit inuium. Linguarum certe principum nulla est fere, quam non & calleat, & vero etiam,*

si

si vsus poposcerit, loquatur. Latinam, Graecam, Hebraeam adeo curate ipse iam didicit, vti alios docere vicissim non sine laude sua possit. Philosophiam quoque iam vniuersam, tam quae est circa theoriam, quam quae ad praxin attinet, inusitata industria percurrit. In ipsa iam porro sanctissimae Theologiae adita sese feliciter penetraturus: quod profecto in sex saltem & decem annos nato iuuene instar est miraculi. Nil damus hic quicquam auribus. Scribimus omnia ex re & vero. Inter praecoces igitur eruditos locum vtique meretur Suantenius, quem tamen praecocium eruditorum praecones adhuc ei non assignarunt. Quare h. l. non possum non ea etiam afferre, quae ipse in Dedicat. huius libelli hanc in rem de semet ipso scripsit: *Coeperam ex consilio Venerandi Dn. Parentis vel anno aetatis 12, postquam in vtraque litteratura, Graeca pariter ac Latina, tam ligata quam soluta, nonnullos feceram progressus, iamque ad vtilissimum iuxta ac iucundissimum historiae studium eram manuducendus, singulis diebus post lectionem Biblicam ceterosque labores ordinarios vel vnius Imperatoris Romani vitam rudi penicillo, h. e. tribus quatuorue distichis Graeco-Latinis memoriae caussa adumbrare, eademque more pubis Spartanae, antequam prandium sumerem, vna cum enarratione, quae gesta a me essent, recitare. - - - - Detinuerunt me, quod non diffiteor, hi augustissimi proceres, vt in edendis eorum lineamentis, tenui versuum penicillo adumbratis,*

 tis,

tis, ad annum vsque aetatis 16 *in Academia hac patria commorari necessum habuerim, qui ceteroquin post curriculum Pansophicum vel tertia vice iteratum, post disputationem vnam alteramve publice habitam, post tot examina (quod citra iactantiam scribo) etiam in praesentia Excellentissimorum Dominorum Professorum, quin & illustrium personarum mecum instituta, vel anno citius & quod excurrit, ad exteras abire Academias animum induxeram.* Reliqua iuvenilis sapientiae testimonia taceo, quoniam haec possunt sufficere.

De Lancea, qua perfossum latus IESV CHRISTI Dissertatio. Rostoch. 1686. 4.

De Xystis veterum beatum virum etiam aliquid litteris consignasse, ex Amicorum relationibus cognoui.

Programmata eius, quorum non potest non esse insignis multitudo, siquidem per 31 annos Rector fuit, deinceps passim a nobis citabuntur. Plerorumque catalogum dedit Cl. Ludouic. l. c. p. V. p. 332 sq.

(37) *Erasmus Sarcerius*, immortalis famae Theologus, Lyceo nostro, cuius primus fuit Conrector, maximum decus conciliauit. Vnde eo Lubecenses illum sunt complexi amore, vt, cum ob religionis purae constantissimam defensionem vim hostium veritatis fuga auertere cogeretur, interiecto aliquo tempore munus, quod ante gesserat, scholasticum denuo ei deferrent. Scholis quoque Rostochiensi, Viennensi & Graeciensi

ciensi non sine maximo praefuit emolumento. Eadem felicitate deinceps in Comitatu Nassouiensi, in vrbibus Lipsiensi, Islebiensi & Magdeburgensi sacra munia administrauit. Vnde iure laudant eius praestantissima merita summe Reu. Goetzius noster in Melematib. Annaeb. p. 1043 sq. Petr. Albinus in Commentar. nouo de Misnia p. m. 708 sq. Iac. Verheidenus in Effig. praestant. Theologor., qui Rom. Antichrist. praecipue oppugnarunt p. 47 sqq. Dietericus de Annaeberga & Claris Viris inde oriund. c. II. §. 1-9. Zeidlerus in Comp. Theatr. p. 84. Conf. Koenigius in Biblioth. V. & N. p. 724. Mollerus in Isag. p. 442. Laudatissimum in defendendis sacris purgatis ardorem ostendit, vt alia non adducam, & taceam quoque *Confessionem Theologorum Mansfeldensium*, quae an. 1559 ipsius cura prodiit, dum calculum suum etiam adiecit libro, hac inscriptione edito: *Bedencken Doctoris Martini Lutheri, auf dem Reichstage zu Augspurgk im XXX Jahre gestellet. Item ein ander Bedencken auf den Tag zu Schmalkalden den ersten Martii des 40 Jahrs der Theologen, so zu solcher Zeit daselbst gewesen, welcher Namen zurücke verzeichnet. Zu diesen ferlichen Zeiten nützlich und von nöten zu lesen, damit jedermann bericht werde, was in Religions Sachen nachzugeben, oder nicht könne nachgegeben werden.* An. 1548. 4. Subscripserunt enim *Martinus Luther* D., *Iustus Ionas* D., *Ioannes Bugenhagen* D., *Caspar Creutziger* D., *Philippus Melanchthon*,

 Fric-

Friedericus Miconius, *Nicolaus Amsdorff*, Erasmus Sarcerius, *Ioannes Amsterdamus*, *Nicol. Schenbel*, *Balthasar Tardus*, *Mart. Bucerus*, *Anton. Coruinus*, *Ioan. Kymeus.* Librorum eius praestantia non obscure inde etiam demonstratur, quod aliqui sint in linguam Anglicam translati. Vid. ipsius Sarcerii Dedicatio, qua *Postillam* suam (liceat hic cum Sarcerio ecclesiastico stilo vti) Marpurg. 1541. 8 editam HENRICO VIII, Angliae Regi, consecrauit. Librum Sarcerii *de Excommunicatione & Disciplina Ecclesiastica* Isleb. 1555. 4. valde commendant Auctores Relatt. Innox. 1703. p. m. 496 sqq. Ceterum virtutes Sarcerianae hoc elogio, quod est ap. Albinum l. c. p. 708, eleganter continentur: *Lucebat in hoc viro commemorabilis grauitas & constantia: non minas, non exilia, non vllam vllius hominis potentiam aut vim pertimescebat. Pene dixerim, solem facilius de cursu dimoueri potuisse, quam Erasmum a veritatis professione. Vitam agebat caste & integre. Oderat luxum: tempestiue de conuiuio domum redibat: amabat simplicitatem: execrabatur sophisticam & laborum erat tolerantissimus. Ecclesias viginti quatuor Comitatuum constituerat & iuxta rea purgatam religionem ordinauerat. Concionator erat disertus, copiosus & grauis, vere aculeos in animis eruditorum relinquens.*

(38) *Ioannes Polzius*, Belziga-Saxo, natus est an. 1605. d. 20 April. patre *Adamo Polzio*, Pastore. Praeter doctores scholae Halen-

lensis, Gardelegii *Mebesium*, Hamburgi *Iungium* diligentissime audiuit, egregieque ab his celebribus viris praeparatus an. 1653 Academiae Iuliae magistris se litteris perpoliendum commisit. Maturuere tandem ipsius studia magni *Kirchmanni* industria, qui eum ex Academia reducem factum in museo suo erudiuit. Rector primum fuit Wismariensis an. 1654 constitutus, *cui prouinciae*, inquit B. Hinckelmannus Progr. in fun. Polzii, *quanta fide & vtilitate praefuerit, cum quamplurimis aliis vel sola Schabeliorum, Racheliorum, Morhofiorum perennatura nomina testari possunt, quae quoties cogito dubius fere reddor, an vllius Rectoris exantlati labores tam pulchre foenerarint*, *sub primo quidem decennio*. Deinceps Lycei nostri ab an. 1664 per decennium Subrector & tandem, cum Bangertus Rector euaderet, Conrector, munere suo religiose semper functus est ad vitae vsque finem, quem habuit an. 1675. d. 23 Febr. Vir, cui ad laudem potest sufficere iudicium, quod ipse Morhofius de eo tulit. *Erat*, inquit in Programmatt. Orationibus annexis p. 775, *viro illi singularis in bonis auctoribus enucleandis industria, iudicium de iis acerrimum, Graecarum & Latinarum litterarum accurata peritia, qui non praepostera, vt plerumque nunc fit, via duceret, sed λεωφόρον bonarum litterarum viam ad artes sterneret*. Plura in laudem ejus affert Hinckelmannus l. c., qui inter alia eum vocat *senem integerrimum, doctissimum, & de optimis non tantum, sed & pessimis saepe ingeniis*

niis praeceptorem optime semper meritum. Descripsit Programmatibus iam citatis *Vitas Bangerti & Nottelmanni*, praemisitque etiam an. 1665 *Programma, Aequitatem Laudationum Funebrium ostendens*, Orationi de Bangerto ab Adamo Henr. Möllenhoff habitae. Probe distinguendus est noster a *Ioanne Polzio*, filio, de quo suo loco agetur. Conf. etiam, quae infra de Morhofio dicentur.

(39) *Martini Lipenii*, viri de omni re litteraria praeclare meriti, vitam desiderarunt multi eruditi, ad quorum manus Programma Suantenianum Lubecense, illam digna fide descriptam exhibens, non peruenit. Quare vt hac occasione desiderio isti satis faciam, facile commoueor. Protulit autem hunc virum Gorza Marchica an. 1630 ipso festo die Martini, cuius nomen ei fuit impositum. Parentes nactus est *Georgium Lipen & Margaretam Hermanniam*, a quibus cum agricultura pietas, integritas & honestas semper fuit coniuncta. Hi filium suum in Brandenburgensem primum, deinde Ruppinensem scholam miserunt, ex quo ad Sedinense Gymnasium est profectus & *Micraelii* aliorumque institutione egregie profecit. Doctrinae iam tum multa industria comparatae luculentum extat testimonium erudita illa *Disputatio Theologica de mirabili Animae Rationalis origine*, quam elaborauit & praeside *Ioachimo Fabricio* d. 5. April. 1650 defendit. Cum scholasticum stadium-

dium multa faciendo, multa etiam ferendo absoluisset, an. 1651 mense Maio Wittenbergensis Academiae ciuis euasit, & simul summorum virorum Hülsemanni, Scharffii, Calouii, Io. Meisneri, Kunadi, Quenstedii, Deutschmanni, Ziegleri & Lyseri auditor, quem ob diligentiam & animum ad solidam eruditionem Theologicam pariter ac Philosophicam contendentem magno amore sunt prosecuti. Imo secundo statim anno Academico sedulitatis praemio, summis in Philosophia honoribus, eum ornarunt. His insignitus, concessa alios docendi facultate prudentissime vtebatur & scholas, in quibus vel Philosophiam tradebat, vel ad humanitatis artes monstrabat viam, aperiebat. Saepe etiam prodibat in publicum, & vel Respondens *Io. Andr. Quenstedii* Disp. Theol. *de Praedicationum Personalium in Articulo de Persona Christi occurrentium quidditate, qualitate & veritate* an. 1652: *Abrah. Calouii* Cap. XII *Considerat. Arminianismi*, nec non *Iac. Reichmanni* Disp. Phil. *de Stellis tam vsitatis, quam inusitatis* an. 1653; vel Praeses varias Dissertationes nitide conscriptas defendebat. His rebus inclarescebat, & doctoribus publicis Wittenbergensibus adeo placebat, vt dignum eum iudicarent, qui splendida munia, ipsis commendantibus, modo Rectoris Gymnasii Göttingensis, modo Antistitis primarii apud Modornenses in Hungaria, modo Inspectoris Rathenouiensis in Marchia capesseret. Prae-

 ter

ter Cotbuſanos quoque in Luſatia, qui ſcholae ſuae Rectorem eum eſſe voluerunt, alii ad munera ſcholaſtica illum vocarunt. Sed cauſas, easdemque graues habuit, cur Wittenbergae maneret. Tandem tamen dulcisſimam ſtudiorum ſuorum matrem reliquit & an. 1 59 Halam accerſitus Conrectorem ſe creari paſſus eſt. Anno 1661 Rector quidem Scholae Oldenburgenſis fuit deſignatus, ſed Hala tamen nondum voluit abire. Abiit autem an. 1672, cum Gymnaſii Carolini, quod Stetini eſt, Rector & Profeſſor conſtitueretur. Ibi multos habuit praeſtantisſimos diſcipulos, quos inter eſt *Ehregott Daniel Colbergius*, qui Lipenium ſaepe *ſuum in Philoſophia felix oraculum* nuncupauit. Vid. ſumme Ven. Pippingii P. II. Memor. Theol. p. 1422. Stetino venit Lubecam, an. 1676 d. 19 April. ad Conrectoris officia exſequenda a Magnifico Senatu huius Reipublicae benigne vocatus. Huius muneris & aliis grauisſimis laboribus, moleſtiis etiam atque morbis fatigatus & plane fractus an. 1692 d. 6 Nov. beata morte ad veram quietem peruenit, & famae hodieque per orbem eruditum vaganti merita ſua, prudentiorum omnium conſenſu, praedicanda, reliquit. Haec merita eius loquuntur ſcripta, Wittenbergae, Halae, Stetini & Lubecae ſtupenda ſedulitate confecta, quorum pleniorem, quam adhuc quidem vllo in loco habemus, hic dabo indicem. Sunt autem

Diſpu-

Disputatio Ethica de Affectibus in genere. Witteb. 1655. 4.

Disp. Polit. de Tyrannide. ibid. 1656. 4.

Biga Problematum Physicorum de Iridis ante Diluvium existentia & Sermonis in Brutis Carentia. ibid. a. e.

Discursus Metaphysicus de Communicationis Quidditate, Veritate & Varietate. ibid. a. e.

Disp. Metaph. de Regula. ibid. 1657.

Disput. Metaphys. de Mensura & Mensurato. ibid. a. e.

Exercitationes Aretologicae quatuor. ibid. 1657 & 1658. 8.

Disp. Logica de Prima Mentis Operatione. ibid. 1658. 4.

Fasciculus Disputationum, quarum prima Ionae Diaplus Thalassius, ex S. Historia desumptus & ex Philologia illustratus; altera de Nauigio Salomonaeo & tertia de Ophir. Witteb. 1678. 4.

Nauigatio Salomonis Ophiritica illustrata. Hal. 1660. 12. pagg. 826. In hoc libro fusius ea sunt exposita, quae in praecedenti Tractatu breuiter dicta.

Zeitlich, aber doch Christlich und seelig abgelegte Wanderschafft H. Christiani Carol. Mylii, I. V. D. Hal. 1663. 4.

Der Hoch- heilige und recht seelige Christ-Tag des am Christ-Tage gestorbenen H. Christiani Rudloff, Patricii. ibid. 1670. 4.

Unvergeßliche Creutz-Thränen, bey der Leiche

Fr.

Fr. Marien Catharinen Schultzin. ibid. 1666. 4.

Camera Coelestis, in quam Caspar Neese, Reuerendissimi & Serenissimi Principis ac Domini, Dn. AVGVSTI, Postulati Administratoris Magdeb. Camerae publicae Praefectus translatus. Hal. 1664. 4.

Vale Hallense, Gymnasio Hallensi in quo per XIV prope annos publice docuit, d. 13 Febr. 1673 dictum. Hal. 4.

Decas Thesium Philosophicarum. Stetin. 1673. 4.

Disputatio publica de Philosophia. ibid. a. e.

Progr. de Dario Medo. ibid. 1674. fol.

Λιθολογία, siue Physica Lapidum Consideratio. ib. 1674. 4.

Dissertatio Historica de Mariae Ortu, ibid. 1675. 4.

Disputatio Metaphysica de Toto & Partibus. ibid. a. e. 4.

Σταυρολογία siue Dissertatio publica de Cruce Christi. ibid. a. e. 4.

Dissertatio Moralis de Violentis Manibus. ibid. a. e. 4.

Ὀρολογία i. e. Disputatio Physica de Montibus. ibid. a. e. 4.

Disputatio Metaphysica de Necessitate & Contingentia. ibid. a. e. 4.

Programmata Stetinensia in funeribus *Gustaui ab Helmfeld* (vid. summe Reu. Goetzii nostri Elogg. Praecocc. Eruditor. p. 1 sqq. vbi integrum Programma est repetitum), *Leon. Axel. von Heucking, Barbarae Cathar. Rosenhandtiae, Annae Mariae Engelbrechtiae, Balthasaris Bendelii*, Diaconi, *Dorotheae Blancken,*

cken, *Georg. Iacob. Blancken*, Medic. Doctoris, *Elisabetae Brunschwigiae*, *Annae Mariae Fabriciae*, *Ioach. Fabricii*, Pastoris Wollinensis, *Danielis Fleisneri*, vectigalium nauticorum Praefecti, *Wilhelmi Francken*, Symmystae, *Frider. Helwigii*, Med. D., *David. Herbst*, Med. D. & Physici, *Martin. Kochen*, Senatoris, *Andr. Krüger*, *Vlrici Clementis Michaëlis*, Consulis, *Sophiae Elisabethae Pabliae*, *Mariae Helenae Polisiae*, *Mariae Pfeiliae*, *Frid. Theod. Rangonis*, *Martini Rückefort*, *Christiani Schadelocken*, Med. D., *Sam. Schaum*, Senatoris, *Sarae Schiltzin*, *Ioach. Schmiden*, Arcis Regiae Praetoris, *Mart. Schörckelii*, *Nicol. Schultzen*, *Ioach. Streker*, publici iuris facta, praeter vitas, alia saepe non inelegantia ex historia sacra & ciuili, ex antiquitate, ex mythologia complectuntur. Vnde ab eo, qui possidet, conseruari vtique merentur.

Integra Strenarum Ciuilium Historia a prima origine, per diuersas Regum, Consulum & Imperatorum Romanorum nec non Episcoporum aetates ad nostra vsque tempora deducta & quoad Nomen, Auctorem, Materiam, seu Munera, Tempus & Vota illustrata, Lips. & Hal. 1670. 4. Hunc librum beatus auctor multis accessionibus locupletatum reliquit.

Strenae Ecclesiasticae, quas Duum-viri clarissimi & de Ecclesia Christi optime meriti Theologi Dn. Iacobus Herrenschmidt in Strenographia Rhetica & Dn. D. Iosua Stegmann in Icone Pietatis suo

ſuo quisque loco & tempore conſcripſerunt, obtulerunt, ediderunt, in vnum Faſciculum collectae & ex multis aliis piorum & deuotorum virorum Meditationibus auctae. Lubec. 1677. 4.

Bibliotheca Realis Theologica, omnium materiarum, rerum & titulorum in vniuerſo ſacroſanctae Theologiae ſtudio occurrentium, ordine alphabetico ſic diſpoſita, vt primo ſtatim aſpectu Tituli, & ſub titulis Auctores iuſta velut acie collocati in oculos pariter & animos lectorum incurrant. Francof. ad Moen. 1685. fol.

Bibliotheca Realis Iuridica. Ibid. 1679. fol.

Bibliotheca Realis Medica. Ibid. 1679. fol.

Bibliotheca Realis Philoſophica. Ibid. 1682. fol.

Hoc quadripartitum opus Bibliothecarium ſtupendam prae ſe fert induſtriam (quam Celeberr. Fabricius in elegantisſima Praef., qua Lambecii Prodrom. Hiſt. Liter. ornavit, vocat *vtilem & commendandam*) & inſigni ſua vtilitate omnino ſe commendat. Quare iniquus profecto eſt nonnullorum conatus, quo has Bibliothecas omni laude ſtudent priuare. Equidem ab erroribus neutiquam eas immunes dicere audeo: audeo tamen affirmare, Lipenium inimicorum & obtrectatorum acerbas cenſuras non mereri. Etenim quamdiu homines ſunt homines, tam diu maximae molis opera, praeſertim Hiſtorica & a nemine antea tentata, non poſſunt ſine omnibus erroribus elaborari. Dicat aliquis: Eſſe non prius in lucem producen-

da,

da, quam certo conſtet, omnes errores abeſſe. Verum hac ratione multis operibus eſſet carendum, quibus, licet dici non poſſint omnibus numeris abſoluta, tamen non ſine ingenti fructu vtimur. Deinde non omnis culpa tribuenda ſoli Lipenio, ſed & *Dauid. Chriſtian. Zeiſio*, iuueni maxime induſtrio & Lipenii olim diſcipulo, praematura morte defuncto, *Chriſt. Valer. Zeiſio*, illius fratri, & *Danieli Springinsgut*, Symmyſtae Wismarienſi, quos laboris ſocios in Praefat. gratus adducit. Quod vero Diſputationes & minima etiam ſcripta citauerit, laudandum in eo eſſe cenſeo, minime, quae eſt nonnullorum opinio, vituperandum. Etenim illuſtria & magna opera ſatis alias cognita ſunt ac facile memoriae noſtrae occurrunt: exiguorum autem ſcriptorum, nucleum ſaepe exhibentium, imo interdum aliquid afferentium, quod in vaſtis voluminibus fruſtra quaeritur, neque ſtatim meminimus, neque etiam ſemper cognitionem habemus. Iſthaec omnia ſine dubio conſiderarunt ii, qui de harum Bibliothecarum defectibus non immodeſte iudicarunt. Plura de iis legantur in Morhof. Polyh. L. I. c. 18, §. 16. p. m. 218: Hinckelmanni Epiſt. Bibliothecae Philoſ. praemiſſa: Bailleti Iudicc. T. II. P. I. p. 46: B. Io. Frid. Mayeri Progr. ad Bibliothec. Biblic. inuitante p. 4, vbi Bibliotheca Theologica vocatur

catur *opus vastum atque eximium & in hoc ipso argumento Biblico scriptorum maximam copiam suggerens*, & in Biblioth. Biblic. p. m. 44 sq: Nouvell. de la Rep. des Lettr. 1686. n. 10: Act. Erud. Lips. 1685. p. 403: Ephemerid. Erud. Ital. 1679. n. 9: Journ. des Sçav. 1680. n. 9. p. 118: Burc. Gotth. Struuii V. C. Introd. ad Notit. rei litt. p. m. 34, vbi licet acriter iudicetur, non negatur tamen, Lipenianas Bibliothecas *vtilitatem suam habere*: Celeb. Reimmanni Introduct. in Hist. Litter. P. I. p. 229. 247. 268. 276 & 284, vbi Bibliotheca Philosophica reliquis praefertur. Mihi inprimis arridet iudicium Celeberr. Richeii in Not. & Animaduerss. MSS. in Struuii Introd. (luce dignissimis) ad Cap. I. §. 21 his verbis latum: *Martini Lipenii Bibliothecae Reales inter praestantissima subsidia collocandae sunt, quae librorum cupidis ad manus esse debent, vt non tantum de unoquoque argumento, cum opus est, discant, quinam scriptores de eo egerint; sed etiam ut in illas Bibliothecas, tanquam in penum communem, quotidie referant libros plures, praesertim nouos ac selectos, quos in vsum publicum de singulis argumentis prodire cognoscunt. -- -- Nemo ante Lipenium maiori cura & ordine commodiori istiusmodi opus aggressus est. Certe labores eius infra meritum plerumque laudantur. Vituperant saepe ii, qui tacite secum quam maxime vtuntur. Cum autem in tam vastis operibus quaedam veluti sit errandi necessitas, non desunt*

desunt naeui plurimi, condonandi tamen modeste & emendandi potius, quam viro optime merito petulanter exprobrandi. --- Quidquid vero tandem sit de erroribus Bibliothecarum Lipenii Realium, certum est, suauem illam ex ordine alphabetico euoluendi facilitatem titulorumque & librorum copiam adeo commendatos facere hos labores; vt qui semel vtilitatem eorum perspexit, non facile passurus sit tam praeclarum rei litterariae adminiculum sibi deesse. De his Bibliothecis augendis olim cogitauit *Vincent. Placcius*, verum *Additiones* eius adhuc lucem non aspexerunt. Optandum esset, vt eruditorum virorum societas vnius enim hominis aetatem & vires labor iste superat) Bibliothecas has diligentissime perlustraret, erroribus liberaret & optimis libris ac scriptis augeret: sic enim haberemus eruditionis praestantissimum subsidium. Sed isthaec ad pia historiae litterariae desideria pertinent.

(40) De *Ioanne Henrico Hessio*, Gymnasii nostri Conrectore, doleo, tantum me dicere non posse, quantum ipsius eximia virtus iure poterat postulare. Nam eius vita, licet omnino mereretur, memoriae non est prodita. Noui tamen ex certis indiciis, quod Smalcaldia eum produxerit, Gotha (vbi Principi ipsi in deliciis fuit, & aegerrime ab Illo est dimissus) habuerit Subrectorem, Smalcaldia Rectorem & tandem Lubeca nostra Conre-

 ctorem,

ctorem, quae eum non ſine ingenti dolore an. 1695. m. Ian. amiſit, cum nondum biennium excellentiſſima ſua eruditione & ſingularibus plane ingenii acutisſimi dotibus ipſam colluſtraſſet. Quaedam ad Vitam eius ſpectantia continet haec Epiſtola Smalcald. d. XV. Cal. Mai. 1692 ſcripta ad honoratisſimum Collegam meum Jo. Schevium, qui eam mecum communicauit: *Vir Clarisſime. Literas tuas humanisſimas, quas Lubeca V Id. April. ad me dare placuit, ipſis Idibus accepi, & profecto vix dici poteſt, quanto ſim perfuſus gaudio, poſtquam intellexi, Te, olim mei amantisſimum, & in patria honeſtisſimo praefectum muneri eſſe, &, poſt tot annorum interuallum, adeo non mei memoriam depoſuiſſe, ut potius illam, ad ſplendidisſimam in Schola veſtra celeberrima ſpartam inuitando, documento certiori, quam vel votis expeterem, mihi teſtarere. De priori quemadmodum ex animo tibi gratulor, Numinisque ex alto fauorem ſcholaſticis tuis laboribus ſerio apprecor, ita non poſſum non ingentes agere gratias pro inſigni tua erga me beneuolentia, qua inductus meam qualemcunque operam Eorum nonnullis, qui auctoritate ſua rei & litterariae & publicae apud vos felicitatem ſuſtinent, commendare non dubitaſti. Vtinam vero iis valerem dotibus, quas tibi in me pollicetur amor erga me Tuus, &, non ſemper ſincerus amicorum arbiter, affectus. Quod ſi enim iis verborum lenociniis & inuidendis fere praeconiis, quibus in literis ad me tuis in pudorem propemodum me dediſti, Veſtris quoque Optimatibus meam tenuitatem notam reddere voluiſti,*

voluisti, vereor etiam atque etiam, vt laudibus, quas propensissima Tua erga me voluntas Tibi expressit, ipso respondere opere queam. Quanti enim putas esse, illam exornare spartam pro dignitate velle, quae Kirchmannos, Lipenios, aliosque edecumatae eruditionis viros, olim fatigauit? Quicquid tandem sit, ne beneficii, quod mihi destinasti, amplitudinem ingratus reiecisse videar, paucis Te certiorem faciam, quo loco res meae sint, cetera Dei curae prouidentiaeque relicturus. Postquam Serenissimus Princeps, Fridericus, p. m. sibi, quanquam aegerrime, persuaderi passus fuit, vt me, quae ipsius Serenitatis vox erat, patriae, illiusque iuuentuti clementissime donaret, Smalcaldiam profectus, ludo literario, quanta potui, industria praefui. Nec diuina laboribus meis benedictio defuit. Plurimos enim, per nouem illos, quos hic egi, annos, discipulorum meorum Academiae reddiderunt & titulis & eruditione & quosdam etiam muneribus iam insignes. Hinc factum, vt ciues mei non tantum honestum, quo Rectores ante fruebantur, salarium augerent, sed & cum tempore, si occasio illucesceret, ad quaeuis splendidissima me promouendum sperarent. Et Gymnasii quoque Gothani Proceres non vna vice Rectoris mihi dignitatem certam fore vltro spospondenunt, si senioris illius mors vacuum illud munus fecerit. Hoc rerum statu facile tibi persuaseris, me nec hactenus vllam apud alios prensasse conditionem, nec hic mutandi, nisi forsan Gotha me vocaret, consilium vllum admisisse. Quandoquidem vero, plane praeter spem meam, Tua benignitate noua sese offert mei forsan,

meorumque commodius sustentandorum occasio, nollem videri, diuinae vocantis voluntati reluctatus esse, adeoque totus ero in Tua, Tuorumque, quos mihi conciliabis, Patronorum voluntate, si modo prius de nonnullis edoctus fuero, quorum me certiorem fieri, maxime interesse mea existimo - - Quae si resciero, apertius responsurum me recipio, & , si viribus meis non sit maior Scholae tam celebratae moles, reapse ostensurum promitto, quanti mihi sit Tua in mea commendanda tenuitate promtitudo. Quod vero ea tecum communicari cupis, quae siue in prosa siue in ligata ediderim, nihil vtique hactenus in lucem a me prodiit, nisi Programmata quaedam, quorum vnum simul mitto, plura per Lipsiam forsan, si occasio dabitur, sequentur. Habeo quidem integros tractatus prelo paratos, sed a me; certis de caussis; nec alii, nec ego ipse potui impetrare, vt aliquid ederem. De quo alias. Iam enim chartae spatium monet, vt desinam & fauori me tuo vlteriori commendem. Haec ipse beatus Hessius. Ego, ex quo legi elegantissima *de Academia, bonarum artium mercatura: de Ingeniorum discrimine & de iniquis Scholarum censoribus* Programmata Smalcaldiensia, plurium scriptorum ab hoc viro profectorum incredibili desiderio flagraui. *Carmina*, quae edidit, praesertim heroica, merentur optimorum Poëtarum deliciis accenseri, iubentque optare, vt etiam *Passionis saluificae Miracula* heroico carmine descripta in lucem aliquando prodeant. Non est etiam dubium, quin ipsius *Praxis Oratoria*, si publici iuris esset fa-

cta,

cta, inter praestantissima artis dicendi subsidia locum obtinuisset. Quare omnes, qui hunc virum cognouerunt, subscribunt iis, quae B. Suantenius in laudem eius cecinit. Ille vero nitidum carmen, quo *Laborantis rei literariae damnum non leue discessu Hessii impense doluit*, ita obsignauit:

Non tuus e nostro labetur pectore vultus:
Nominis Hessiaci gloria perpes erit.
Donec erunt nostri subsellia culta Lycei,
Cultum, crede, tuum durat, eritque decus.
Nam successuris quoque commemorabitur annis
Ingenium solers, dexteritasque tua.
Praecipitata quidem, fateor, spem praeter & omnem
Conclamata tui funeris hora fuit;
Ast, quae per praeceps iter ardua gloria vadit,
Est Tibi non praeceps exhibitura decus.
Doctrinae monumenta tuae victura perennant,
Teque vetant gelido succubuisse rogo,
Hic operis docti dudum celebratior vsus,
Et studii series consolidata tui:
Hic oris calamique nitor: facundia promta:
Plures ingenii nobilioris opes;

Ac confirmatis innixa ſcientia fibris,
Maturaeque tuae cognitionis honor:
Nec non inſignis meritorum copia: prae-
ſtant,
Vt nomen volitet docta per ora tuum.
Fama tenebroſum tua non ſubitura ſepul-
cum,
Semet in anguſtum non patietur agi;
Sed diuulgabit ſpatioſum lata per orbem:
Te ſolide doctum peruiguiſſe virum.

(41) *Iacobi Kockerti*, Philologi clariſſimi, qui in Lyceo noſtro permultos annos Subrectoris munus egregie ſuſtinuit, vitam dedit Seb. Meierus in Programmate Lubecae 1654. 4. pl. 2½. euulgato. Ex eo diſcimus, Natum eſſe Kockertum an. 1596, V Non. Octobr. patre Auguſtino Kockerto, matre autem Anna Peterſenia: ſcholam noſtram mature ingreſſum duce Ottone Gualtperio, in eaque tam diligenter litteris operam nauaſſe, vt opinione citius a praeceptoribus dignus iudicatus ſit, qui Gymnaſtico coetui adſcriberetur, & adſcriptus etiam fuiſſet, niſi parentis voluntate, prudentiae magnae inſigni documento, in proxima a prima claſſe per integrum annum eſſet detentus: linguarum & humanitatis ſtudiis probe excultum in Academiam Roſtochienſem primum, deinceps Wittenbergenſem abiiſſe ibidemque ſanctioribus litteris adeo fuiſſe perpolitum, vt ſummi Theologi Dorſcheus, Wellerus & Hannekenius eum amarint & ſanctam inuio-

latam-

latamque ad finem vitae amicitiam cum eo coluerint: post absoluta studia Academica in patria eruditionis haud vulgaria ostendisse specimina, quibus commoti summi rei scholasticae Patroni, Subrectorem eum constituerint: mortuum esse an. 1654 d. 21. Febr. horā nona matutina, paulo post vsum sanctissimarum epularum apoplexia correptum. Idem nos docet eius fidem, industriam, dexteritatem in muneris ratione religiose habenda, patientiam quoque in perferendis iniquis censuris. *Habent enim*, inquit Meierus p. B. 4, *quos fati infelicitas in pistrinum detrudit scholasticum, quod agant; & quibuscum priuatim & publice confligentur, neque censores suos effugere possunt. Qui enim ipsi sibi suisque rebus consulere nesciunt, cerdones & id genus alii, Praeceptoribus leges praescribere non verentur. Et plerumque ita fit, vt quo minus quis rem scholasticam intelligit, eo magis ipsam oderit, asperiusque de Praeceptoribus loquatur. Licet autem has & alias moleste ferret iniurias, quantum tamen poterat, generoso eas animo concoquere studebat & Deo confisus, suum docendi erudiendique amorem & ardorem singulis horis probabat. Non enim cum audito aere campano in scholam ingressus esset, paulo post se subducebat: aut sua, aut aliena quomodo domi negotia expedirentur, in schola curabat & corpore praesens, animo peregrinabatur: aut somno operam dabat, sed suo, quanta vnquam poterat fide, satisfacere officio annitebatur.* Egregio praeterea ingenii monimento lau-

dem perennem in erudito orbe sibi comparavit. *Indicem Terentianum* Lubec. 1651. 8 in lucem emissum innuo, quem, suadente & instigante Kirchmanno, nitidissime confecit, Terentium Comicum vel ex Comicis, vel scriptoribus, qui aequales ei, aut proximi & quorum dictioni optime cum Terentiana conuenit, interpretando & priscos etiam ritus e verbis eius interdum eruendo. Vtilissimum laborem auctori humanitatis peritissimo viri praestantissimi Iac. Wellerus, Io. Henr. Meibomius, Iac. Stolterfoht, August. Buchnerus, Seb. Meierus & Henr. Bangertus, comtis & honorificis Carminibus sunt gratulati. Ex his Stolterfohtius suum ita finit:

Eximius labor hic tibi, mi Kockerte, fauorem
Castalidum & vere docti lucrabitur orbis,
Atque tuum nomen, solui metuentibus olis
Euehet & coelis inscribet fama superstes.

Ceterum commemorari etiam meretur eius *Scanderbegus, id est, Carmen* Ἐγκωμιαστικὸν *de Georgii Castrioti, quondam Epirotarum Principis fortissimi & Christianorum aduersus Turcas defensoris acerrimi, natalibus, vita & morte.* Lubec. 1643. 4.

(42) *David van der Brügge*, Lubecensis, Athenaei patrii primum alumnus, deinceps Subrector, an. 1664. d. XVII. Maii ab Henrico Bangerto, Rectore, inauguratus, anno autem 1688 mortuus, magnam, ob singularem in arte poëtica Latina exercenda felicitatem, famam, Lubecae inprimis, est

est consecutus. Carmina enim pepigit, interdum adeo elegantia, vt in hoc litterarum genere vix quicquam possit esse elegantius, Atque hoc eo magis mirandum, quo certius, illum pleraque carmina extemporanea, vt vocant, opera effudisse magis, quam elaborasse. *Deliciae Poëtarum Lubecensium*, quas, si Deus vitam & bibliopola aliquis sumtus dederit, colligere & aliquando cum orbe erudito politiorum litterarum cupido communicare animus est, praeter alia, elegantiora carmina Brüggiana complectentur. *Bibliothecae* quoque nostrae publicae fuit praefectus deque ea bene mereri studuit edendo *Aeternitatis Album memoriae perennaturae eorum, qui Bibliothecam Lubecensem vel viui, vel mortui Libris, Legatis, Ornamentis locupletarunt, illustrarunt, sacrum*. Lubec. 1678. 4. Praefixit huic Albo, in quo de Bibliothecarum vtilitate & necessitate disserit, hanc Inscriptionem:

BIBLIOTHECA

ad

HOSPITES

Intra

Siue sis Ciuis, siue Hospes

Si Ciuis; patriam orna Vrbem.

Si Peregrinus; communem patriam Orbem.

Patria communis Orbis est

In quo tot Ciues, quot sunt Homines.

Ciuis a Ciuibus est ornandus

Ciuem Ciuis orna.

Id gratum erit Mihi,
Tibi, Posteritati, Deo Immortali.
MIHI, quod beneficio tuo fiam auctior.
TIBI, quod tuo ipsius m. benefic. acquisivisti Immortalitat.
POSTERITATI, quae Beneficia post mortem collaudans dicet
Quam praeclare de me meruit BENEFACTOR.
DEO IMMORTALI, cuius in Honorem
Bibliotheca struitur, conservatur.
Qui sic me lustras
Non lustras tantum; sed & illustras
Me, Te, Posteritatem,
Deumque & Christum meum,
Agnoscet Posteritas grata gratum beneficium
AGNOSCET CHRISTVS MEVS
Qui & Liber vitae est
Et Bibliotheca Catholica
In quo viuunt mortui
Et moriuntur viui
Vitam qui in eius morte non quaerunt.

Pollicitus est in hoc Albo p. 8. *Lucubratiunculam de Bibliotheca Lubecensi*, quae etiam in Catalogis Nundinalibus 1679 & 1682 promissa, sed nunquam fuit luce donata. Conf. Molleri Isagog. p. 492.

(43) Vid. B. Pfeifferi Sermones Scholastic., qui additi sunt eius Memoriae, pag. H. Plura cum elogio Pfeifferiano comparanda infra occurrent.

SECTIO

SECTIO I.

EXHIBENS
CONSVLES LVBECENSES.

Immortali profecto ducitur laudi Scholae nostrae, quod CONSVLES LVBECENSES bonis litteris instruxerit. Horum enim tanta est dignitas, vt olim ex Augusto CAROLI IV Imperatoris ore augustam hanc vocem audiuerint, *Lubecam edere viros consilio suo dignos*, imo *Domini* ab eo sint appellati. Merentur hanc in rem produci hoc loco tria testimonia, quae prolixa quidem, egregie tamen splendidissimum CAESARIS in vrbem nostram ingressum & honorificentissimam, qua eandem clementissime ornauit, praesentiam describunt & SENATVS LVBECENSIS splendorem honoremque ostendunt. Primum suppeditat Franc. Modius, ICtus Brugensis, in Pandect. Triumphal. T. I. L. III. c. 3. fol. 33 his verbis: *Anno a Christo nato septuagesimo quinto post mille trecentos, quum Imperator Carolus, qui omnes regni partes collustrabat, Wandaliam quoque sibi visendam putaret & inprimis Imperii urbem Lubecam inuisere constituisset, cui tum aderat Fredericus Archiepiscopus Coloniensis, Otho Marchio Brandenburgensis, Albertus Magnopolensis & Albertus Luneburgensis, Duces; item Wilhelmus Marchio Misnensis, Iodocus Marchio Morauiae, Henricus & Nicolaus Holsati, Gunterus Rupinus, Comites, & multi praeterea Barones, Equestrisqve ordinis; aderat item Imperatrix cum suo comitatu; omnis iuuentus ex vrbe Lubeca in equis obuiam est effusa, vt cum debito honore dominum*

num suum in vrbem introduceret. Duo autem soli Romani Imperatores Lubecam videre: primus Fridericus, qui armatus eam obsedit & per deditionem accepit: & Carolus hic, qui pacatus eam iniit. Iamque vrbi propinquans cum Imperatrice, sacellum diuae Gertrudis ingreditur, vbi imperialibus ornamentis decorati sunt; indeque sublimes conscendunt equos. Adsunt tentoria serico auratisque pannis intexta baiulantes iuuenes ex robustissimis quatuor, vestibus & ornatu insignes. Duo Proconsules frenum inperatorii equi a latere venerabundi apprehendunt. Duo insuper consulares ad Imperatricis frena incessere, quum & ibi ferrent papilionem quatuor ex fortunatioribus iuuenes. Ante omnes ibat in equo vir consularis, portarum claues in pertica baiulans, dominii imperialis in vrbem signum euidentissimum. Principes & ipsi suis fungentes ibant ministeriis. Nam Marchio Brandenburgicus sceptrum, Albertus Saxoniae Ducis filius, patris vice ensem praeferebat: proximo illi Imperatore, quem sequebatur Fridericus Coloniensis Archiepiscopus, ante Imperatricem malum ferens aureum. Illam vero ceteri Principes suo sunt ordine insecuti. Ad primum portae ingressum stabant vtrinque ciuium vxores, cultioribus ornatae indumentis, Imperatorem cum Imperatrice excipere paratae. Quos introgressos veneratur inde chorus psallentium clericorum & religiosorum, qui extulemnt reliquias & dominicam Crucem: quam Imperator & Imperatrix deosculati, deducuntur solenni per urbem pompa ad Ecclesiam vsque maiorem: ibique concinitur: Ecce aduenit dominator Dominus, cum versiculo, Deus iudicium tuum Regi da. Imperator interim orationi institit priuatim; qua expleta, solenni pom-

paredit per regiam plateam & in hospitium magnifice apparatum deducitur. In capite eius vici, quo descenditur ex transuerso ad monasterium sancti Ioannis, facto transitu sublimi supra plateam domui Imperiali oppositam, excepere quam potuerunt magnificentissime Imperatoriam maiestatem. Stabant in conspectu eius Burgimagistri cum Consulibus: quos intuens ait, Gratias non mediocres vobis agimus Domini Lubecenses, qui Imperiali fastigio debite obsequentes nos magnifice exceperitis. Venimus videre vrbem nostram & vos, gratulantes prosperis successibus vestris, quibus fauere studebimus, commendatiorem habituri in reliquum hanc vrbem, quod tales edat viros nostro dignos consilio. Tum senior Lubecensium Burgimagister, Serenissima, inquit, maiestas nos pro exilitate nostra debito nos exoluere cupientes, quantum potuimus, non quantum voluimus debuimusque, ostendimus Imperatoriae Celsitudini, cui non mediocriter nos nostraque commendamus, immortales gratias habentes dignationi tantae, quae etiam, quod exiguum est, accipere dignatur pro magno. Quod solitae clementiae & benignitati eius (vt par est) imputamus, rogamusque, vt inter postremos nos suos asseclas numerare dignetur. Ad quae rursus Imperator: Non in postremis

vos,

vos, sed loco vestro dignamur, recipientes in sacris archiuis, quae a nostris praedecessoribus de hac vrbe sunt constituta, quae nos non solum sustinere, sed etiam amplificare pollicemur. Haec Modius, cuius testimonium cum sit recentius, vetustioribus fidem ei conciliabo. Addo igitur secundum testimonium ex Chronico MS. Lubecensis Ditmari, qui ad an. 1375. scribit: In deme Jare Cristi M. CCC. LXXV. in deme negesten Dage der eluen dusent Meghde / Do quam Keiser Karl / mit der Keiserinnen / vnde mit deme Ersebisscope van Colne / mit groter Ere to Lübeke. He lach dar binnen wol X Daghe. Ok weren bi eme de Marcgreue van Mererer / Hertoghe Albert van Lüneborch / de sin Gud van deme Keisere vnfenk / ok quemen dar uele Heren / van Landen vnde van Steden / vnde vromedes Uolkes sünder taal. Do de Keiser mit siner Vrouwen quam vor de Stad / do ghink he mit er an de Capellen S. Gertrudis / do toch he an mit er sin Keiserlike Wede / em quam enjegen de Processio der Papen vnde geistliker Lüde / Vrouwen vnde Manne. Dat Hillichdom / dat men droch na der Processien / dat küste he vnde se / mit groter Innicheit. Darmede setten se sik malk up en grot Ros. Sin Ros ledden twe Borgermestere / vnde er twe Raatlüde. Veer Juncheren drogen sin Paulun / vnde ander vere ere Paulun / dar se vnder reden. Vor em ret en Raatman / vnde vurde vp eme Staken de Slotele der Stad / dar negest des Hertoge van Luneborch / mit sines Tekene. Vor der Keiserinnen ret de

Bisscop

Bisscop van Kolne / mit eme guldenen Appele. De Vrouwen der Stad stunden tusschen beiden Doren wol gesiret / mit eren besten Klederen. Aldus was de Processio formeret. Se treckeden langes de Stad / bet an den Dom / dar sank men: Ecce advenit Deus judicium tuum. Do dit gescheen was / do treckeden se langes de Koninkstraten / bouen sunte Johanne / in ere Herberge / dar weren ze rouwich / nummer hord me Pipen edder Bunghen / mer Godesdenest. Des Nachtes weren de Luchten bernde vt allen Husen / unde was so licht in der Nacht / als in deme Dage. De Keiser was do mit den Borghermesteren in eneme Rade der Stad / dar het he se Heren / se spreken van Otmodichheit / se en weren nyne Heren / aldus hadde he se vakene heten / in der Stadt to Lubeke / vnd in vorjaren in der Stad to Norenbergche. Do sprak de Keiser / gi sint Heren / de olden registra der Keisere wisen dat vt / dat Lübeke is en der vif Stede / den van Keiseren vnde ereme Rade is de Name der Herscop ghegheuen / dat se mogen gan in des Keisers Rat / wor se sin / da de Keiser is. De vif Stede sint: Roma / Venedig / Pisa / Florentie / vnde Lübeke. Huius Detmari fide nititur *Hermannus Kornerus*, in Chron. MS., quodammodo tamen a Detmaro dissentiens, dum ad an. 1376 retulit, quae ille an. 1375 gesta esse docuit. Dabo ipsa Korneri verba, quae ad an. 1376 leguntur Tom. II. fol. 164. sq. *Karolus imperator seqenti die XI virginum venit in vrbem lubicensem cum vxore sua & multis principibus & receptus est a clero & ciuibus in gloria & solempnitate maxima secundum cronicam lubi-*

cen-

censem. In ipsius comitiua extiterunt hi (a) *principes. Fredericus archiepiscopus coloniensis, Albertus dux magnopolensis, Albertus luneburgensis, qui tunc infeodatus* (b) *est ab Imperatore de ducatu luneburgensi, Otto marchio brandenburgensis, Wilhelmus marchio misnensis, Iodocus, marchio morauie, Henricus & Nicolaus comites holtzatorum, Guntherus comes de rupin, & plures alii barones, milites & militares. Mansit autem dictus Imperator per X dies in lubeke in grauibus expensis vrbis predicte. Cumque ciuitatem ingredi deberet, primo cappellam beate Gertrudis intrans, vna cum consorte sua, Imperatrice, ibidem se induerunt imperialibus ornamentis fastu regio se decorantes. Quibus dispositis ad ingressum vrbis, ascenderunt equos magnos & fortes, & introducti sunt in vrbem alternatim sub papilionibus. Frenum autem caballi Imperatoris duo Burgimagistri manibus tenebant, ex vtroque latere equi gradientes pedestres. Ambulatorem vero Imperatricis freno regebant duo Consulares. Et quatuor domicelli* (c) *ciuitatis papilio-*

(a) In MS. *hii*.

(b) *Infeodare* significat *feudum conferre*. Wenceslaus. Brack in Terminis Iuristarum: *impheodare*, *belehnen*. Plura vid. in du Fresne Glossar. P. I. p. 422.

(c) *Domicelli*, qui Ioanni de Ianua etiam *Dominelli* dicuntur, sunt Regum, Principum & Procerum quoque ac Primorum ciuitatis aut Reipublicae filii, de quibus fuse agit idem du Fresne l. c p. 145 sqq, qui asserit inter alia, *Domicellum* esse quasi *Dominicellum*, diminutiuum a *Dominus*. Ad nostrum locum Kornerianum illustrandum inprimis faciunt, quae habet Vgutio: *Domicelli & Domicellae dicuntur, quando pulchri iuuenes magnatum sunt sicut seruientes.*

pilionem cuiuslibet deferebant. Quilibet tam de consularibus quam de domicellis vel auro aut argento insignitus secundum status & condicionis sue exigenciam, sub cuius vmbra incedentes vrbem sunt ingressi. Porro ante Imperatorem vnus equo insidebat Consul ciuitatis predicte, deferens claues eiusdem ciuitatis in partica, in signum subiectionis imperialis maiestatis. Post quem immediate ibat Albertus Dux Saxonie & de Luneburg, ensem imperialem deferens, & post illum Otto, Marchio de Brandeburg, sceptrum regium in manibus gerens. Post hos Imperator immediate processit. Ante Imperatricem vero Fredericus archiepiscopus Coloniensis incedebat cum pomo aureo, quem ipsa immediate sequebatur. Ceteri vero Principes & Nobiles Imperatricem immediate sequebantur, quilibet secundum gradum & nobilitatem suam. Ingredientibus ergo eis primam vrbis valuam, stabant ex vtraque parte vie regie mulieres pociores tocius ciuitatis, & virgines ornate culcioribus indumentis, ad recipiendum Imperatorem & suam vxorem praeparate. Procesio insuper solempnis tocius cleri & religiosorum cum reliquiis & cruce dominica Imperatorie obuiam venit maiestati & iocundum eius aduentum reuerenter excepit. Qua receptione facta & cruce ab Imperatore & eius consorte deosculata, procesio cleri processit, & totam vrbem pertransiens cum sequela Regii exercitus in maiorem ecclesiam vsque peruenit. Vbi omnes existentes (d) clerus solempniter cecinit: Ecce aduenit dominator domi-

 nus,

(d) Pro *omnibus existentibus*, quae loquendi ratio barbarismis & soloecismis in medii aeui scriptoribus saepissime occurrentibus est addenda.

nus, & regnum in manu eius & potestas & imperium. Et versum: Deus iudicium tuum Regi da &c. Quo cantico expleto, Imperator cum suis plateam regiam transiens, ad hospitium sibi paratum perrexit, quod erat in cornu platee beati Johannis. Vbi postea morabantur domicelli Darsowen dicti. Nox autem quelibet pro tempore mansionis Imperatoris in vrbe predicta in diem clarum vertebatur per multitudinem lucernarum de qualibet domo ciuitatis dependentium. Stantibus ergo Proconsulibus & Consularibus vrbis supra dicte in presentia Imperatoris, dixit Karolus: Grates sint vobis Dominis vrbis nostre de solempni nostri & nostre consortis receptione. Cui senior Burgimagister Iacobus Plescowe (e) *dictus humiliter respondit: Serenissime Princeps nolite nos nuncupare dominos, sed vestre Maiestatis immeritos seruitores & famulos. Cui respondit Rex: Registra antiqua Imperatorum continent, vrbem hanc vnam esse de quinque ciuitatibus principalioribus imperii, & Consulares vrbis vestre esse de iuratis & consiliaribus Imperatoris exire & intrare valentes ipsius consilium vbique & semper absque licentia petita. Prout ceteri iurati eiusdem facere consueuerunt. Merito ergo Domini dicendi estis ex huiusmodi priuilegio de singulari fauore ab Imperiali maiestate vobis in-*

(e) Consulis huius memoriam conseruant etiam haec verba, quae in Templo nostro Mariano lapidi inscrpta:

Anno. Domini. M.CCC.LXXXI. in. die ad. vincula. Petri. obiit. Dominus. *Jacobus. Pleskowe.* Proconsul. Lubicensis. Anno Domini. M.CCCC.V. in. die. Andree. Apostoli. obiit. Domina. *Herdeke.* uxor .ejus. orate. pro. eis.

indulto. Ciuitates autem predicte sunt Roma, Venecia, Florencia, Pysa, Lubica. Fuit autem in predicta ciuitate Lubicensi pro tunc magna solempnitas peracta propter Principum presenciam in exercitiis militaribus tam per nobiles & militares, quam per domicellos vrbis. Et deducti sunt dies illi in leticia magna & iocunditate mirabili. Ex his Dominis & Viris consilio Imperatoris dignis eos CONSVLES, instituti ratione habita, pro virili laudare conabor, quos certissime cognoui, fuisse olim in Athenaeo nostro liberali doctrina imbutos. Equidem ipse plane non dubito, plures, quam a me recensebuntur, antiquis temporibus in eo fuisse eruditos, sed ob testimoniorum fide dignorum defectum (nam priscis temporibus, vti notum est, vitae virorum optime meritorum non tam diligenter conscribebantur & memoriae prodebantur, quam nostra aetate, ideo superiori praeferenda, fieri solet) veteres vix ac ne vix quidem audeo hic adducere. Dabo tamen serie alphabetica quosdam Lubecae natos, atque ideo etiam alumnis scholae nostrae (rudis quidem & ineptae plebis contemtum nullo non tempore expertae (f), a viris tamen sum-

 mis

(f) Hoc scholae nostrae fatum, quod ei cum aliis est commune, B. Kirchmanno in comta Orat. de Georg. Stampelii, Superintendentis Lubecensis, Vita & Obitu p. 14 haec verba extorsit: *Nouerat, nullum esse vitae genus, quod plurium iudiciis expositum sit, quam scholasticum. De vestibus quidem sartorem, de cibis coquum, de calceo sutorem, de reliquis artibus non nisi*

mis & prudentissimis magni semper aestimatae) forsan non praeter omnem veritatem adscribendos, additis, quas epitaphia ipsorum habent, inscriptionibus.

ARNOLDVS BONNVS.

Hunc parum abest, quin iis accenseam Consulibus, de quibus certo dici potest, quod in nostro Athenaeo sint instituti. Etenim quia pater eius *Hermannus Bonnus*, Praesul, illi fuit principe loco praefectus, non est fere dubium, quin filium suum eidem scholae commiserit, quam ipse rexerat & illustrarat. Desunt tamen testimonia hoc affirmantia. Quare coniectura, sed satis certa & vix fallaci, simus contenti. Natus autem Lubecae an. 1542, Senator an. 1578 d. 6 Mai & Consul an. 1594 d. 19 Dec. electus. Splendido Legati munere functus est an. 1579 in Sueciam ad IOANNEM Regem, & an. 1596 m. Aug. in Daniam missus, vt interesset solemni-

nisi artifices solere iudicare; sed de iuuentutis institutione, re omnium maxima & quam millesimus quisque non intelligit, sutores, coquos, sartores, & quos non? audere iudicium sibi sumere, & scholarum moderatoribus sapientiae praecepta, si DIs placet, dictare. Veniebat ipsi in mentem, quicquid vitiorum pueri vel a garrula nutrice, vel ebrioso famulo domi imbiberunt, id non ipsorum culpae, sed praeceptorum negligentiae adscribi. Audiebat, leuissimos magistrorum lapsus tanquam enormia crimina accusari, imo saepe optime dicta factaque detorqueri in calumniam & sinistris interpretationibus aliorsum trahi, quam ab auctore proferantur.

nibus in honorem CHRISTIANI IV Regis coronati & vncti celebratis. Vid, Chronic. Lubec. Kirchringio-Müllerian. p. 242. 255. Peritiam eius litterarum & amorem easdem promovendi declarant ſcripta Patris, nimirum *Farrago praecipuorum exemplorum de Apoſtolis Martyribus, Epiſcopis & ſanctis Patribus veteris Eccleſiae: Enarrationes ſuccinctae & eruditae locorum inſignium, praeſertim e Paullinis & aliorum Apoſtolorum Epiſtolis*, vt & *Inſtitutiones de modo & ratione orandi*, quibus in ordinem redigendis atque euulgandis operam valde laudandam nauauit. Edere etiam in animo habuit Patris ſui *Commentarium in omnes libros Veteris Teſtamenti*: Leg. omnino Celeb. Starckii Vita Herman. Bonni p. 76 ſq. 109. 126 ſq. 131. Obiit vir de ſacra, ciuili & litteraria republica optime meritus an. 1599. d. 16. Iun., vti ex epitaphio, quod Templum Petrinum habet, apparet:

Ampliſſimus & prudentiſſimus vir Dn. ARNOLDVS BONNVS, *Reipub. Lubecenſis Conſul, placide in Chriſto obdormiuit An. Salutis* 1599. *XVI Iun. Aetatis LVII.*

THEODORICVS BRÖMSE.

Generoſae Brömſianae familiae, quae diu Lubecae floruit (faxit Deus, vt diutisſime floreat, videatque ſera poſteritas florentes poſteros HENRICI a BRÖMSE, Senatoris hodie de noſtra Republica meritisſimi!) inſigne decus fuit hic Conſul, de quo in Templo Aegidiano ſequentia annotata: *Magnificus & Ampliſſimus Vir, Dn.*

THEODORICVS BRÖMSE, Liberae & Imperialis huius ciuitatis COS. primarius, diem supremum pie in Domino obiit anno MDC. Aug. XVIII. Templo Iacobaeo NICOLAVS BRÖMSE, itidem Consul, ornamentum honorifica hac inscriptione (quam addere licebit, etsi certum sit, hunc, qui ipso Reformationis Lubecensis tempore fuit Consul, in Schola nostra non didicisse) conciliat. *Im Iahr 1543. den 1 Novemb. ist der Woledler, Gestrenger und Vester, H. Niclawes Brömse, Ritter und Kayser Caroli V. Geheimer Rath, und Bürgermeister der Stadt Lübeck, in GOtt dem HErrn verstorben.* Aeterna memoria dignum est factum, quod hac occasione non possum silentio inuoluere, huius Consulis, quo GVSTAVVM, Sueciae Regem, a Christierno II. Daniae Rege captum regno suo restituit. Rem enarrat Dauid Chytraeus Chronic. L. VI. ad an. MDXX. p. 652 „his verbis: Postea (1518) Christierno II Da„niae Regi, nominatim ipsum & Collegas obsi„des petenti, in Daniam pro captiuo abductus, „ac in custodia artis Iuticae Kalö retentus est. „Ex qua paulo post mutato habitu elapsus, cum „magnis itineribus Lubecam peruenisset (1519), „statim eum praefectus arcis Kaloensis Ericus „Banner, cuius custodiae a Rege Christierno „commissus fuerat, secutus est, eum Regi Da„niae restitui poposcit. Sed cum se hospitem, „iuri Lubecae coram Senatu sistendi saluum „conductum Gostauus peteret, nec se captiuum „vnquam fuisse, sed pro ipso Rege datum ob„sidem, iniuste ex regno Sueciae fuisse auectum testa-

„testaretur, aequitate & patrocinio *Nicolai*
„*Brömsii*, Consulis, cuius praecipua tum in
„vrbe auctoritas erat, cum plerique in Senatu
„Daniae Regi restituendum suaderent, Gostauus
„tum defensus, atque ita ex carcere Danico ad
„regnum Sueciae potentissimum, non secus ac
„veteres illi amplissimorum Imperiorum con-
„ditores, Cyrus, Romulus, Deioces & patrum
„memoria Matthias Huniades, ex adflictissi-
„mis initiis & desperata pene fortuna, diuini-
„tus euectus est. Nam post aliquot menses,
„de consilio Nicolai Brömsii, clam ceteris ciui-
„bus Lubecae conscensa naui oneraria, cum
„mercatoribus in sinum Calmarniensem vectus,
„& cimba in littus ad Stenzö expositus, pedes
„Calmarniam occulte (18 Mai.) ingressus, beni-
„gne a Ioannis Magni vidua, arcem feudi loco
„tenente, exceptus, cum indignam captiuita-
„tem & mirandam liberationem suam ipsi & a-
„liis exposuisset, & vicissim eorum querelas
„de miserabili seruitute, qua patria opprimeba-
„tur, audiuisset, ciues Suecosque milites adhor-
„tatur, ne vllo pacto vrbem vel arcem Chri-
„stierno dedant. & reliqua.

HERMANNVS a DORNE.

Praestantissimis meritis Dornianis diu non sine insigni vtilitate fruita est Lubeca, quae huius Consulis Epitaphium in Templo Mariano praebet conspiciendum, cui sequentia subscripta:

D.O.M. & memoriae Magnifici, praenobilis & strenui Dn. HERMANNI a DORNE, *Consulis Lub. primarii, qui anno* 1633 *Senator*, 1651 *Consul electus est, anno* 1665 *diem obiit, LXX annorum senex. Relicta vidua Dn. Margareta Wetken, & liberi moestissimi, hoc monumentum in amoris & pietatis signum fieri curarunt anno MDCLXVII.*

GODHARDVS ab HÖVELEN

Praedicantur eius virtutes in Templo Mariano his verbis:

In memoriam magnifici clarissimique viri, Dn. GODHARDI ab HÖVELEN, Consulis primarii, Consulis GODHARDI N. Senatorisque GODHARDI F. qui postquam Senatum per decennium illustrasset, ad Consulatum, quem annos viginti non sine maxima gessit laude, divinitus euectus, patriaeque inserviendo consumtus, tandem ex hac vita placide emigrauit anno Christi MDCIX. 16. *Martii, aetatis suae LXIV, cuius ossa hic tumulata vocem tubae nouissimam exspectant.* Cum hoc non est confundendus recentior Consul eodem nomine insignitus, de quo in eodem templo haec leguntur: *Memoriae illustris ac generosi Domini, GOTHARDI ab HÖVELEN, Domini in Meusling, qui Senator primum, dein Consul, patriae integerrime profuit, Curiae prudenter praefuit, inter perplexa temporum virtutem non abscondit, sed acuit, & seculi procellis pectus opposuit recti conscium, quod feriri, non laedi, quod lacessiri, sed vinci non poterat. Tandem Consulatum eadem, qua gesserat, fortitudine vltro reliquit, Consularis animi retinens, & splendidum Regii per Holsat.*

Consi-

Consiliarii ac Vice-Cancellarii munus feliciter suscepit, felicius administrauit, ac demum terrenae gloriae satur, coelestis vero anhelabundus, an. MDCLXXI. aet. LXVIII. d. XIV Febr. mortalitatem, non vitam, felicissime exuit.

HIERONYMVS LVNEBVRG.

Consulem hunc amissum an. 1580 doluit Lubeca, meritorum praeclarissimorum testem nacta hanc in templo Iacobaeo inscriptionem:

Splendore generis animique dotibus in primis clarus Dominus HIERONYMVS LVNEBVRG, cum annos circiter tres Senatoria, ac sequentes post nouendecim Consulari dignitate functus, indefesso studio ac cura patriae praefuisset, vitae pertaesus mortalia cum immortalibus commutauit, fide in Christum firma, & spe gloriosae resurrectionis auida . . . .

ALEXANDER LVNEBVRG.

HIERONYMI gloria per hunc instaurata est, quem etiam ad summum in nostra Republica fastigium Consulare ascendisse, demonstrat eius, quod in nostro templo Mariano est, epitaphium, in quo licet haec legere:

Dominus ALEXANDER LVNEBORCH, Lubecensis, Consul huius Reipublicae primarius, obiit anno Domini 1627. d. 15 Aprilis. anno aetatis 67.

Superest hodie ex generosa Luneburgorum familia ANTONIVS a LVNEBVRG, qui splendido Senatoris munere in nostra Republica perexímia cum laude fungitur.

LAVRENTIVS MOLLERVS.

Illuſtria, quae geſſit, munera, ex Epitaphio, templum Marianum condecorante, cognoſcuntur:

Magnifico & Ampliſſimo Viro, Dn. LAVRENTIO MOLLERO, I. V. Doctori, quondam Regis Daniae, Ducis Megapolitani, & Epiſcopatus Raceburgenſis Conſiliario, patriae Conſuli primario, qui Lubecae A. Chriſti MDLX. die XXIV Martii natus, ibidem A. MDCXXXIV. die VIII Martii placide in Chriſto obdormiuit, moeſta vidua MAGDALENA BONNIA & filia ANNA hoc monumentum poſuerunt.

HERMANNVS WARMBÖKIVS

Monumentum huius Conſulis in aede Mariana reperitur, his verbis conſpicuum:

Ampliſſ. Clariſſ. & Conſultiſſ. Vir, Dn. HERMANNVS WARMBÖKE, HIERONYMI Senatoris filius, I. V. D. ex aula illuſtriſſ. Principis ERICI Brunſuicenſis, cuius Conſiliarius ac Dicaſterii Praeſes erat, in patriam ad Syndicatum vocatus, & Conſul cooptatus, pie in Chriſto obdormiuit anno aetatis LXII. ſalutis vero humanae MDC. XIV. Kal. ſept. In eius ſepulchro lecti ſunt hi verſus, quos debeo humanitati ſaepius laudati Mellii noſtri:

Hic iacet HERMANNVS clauſa WARMBÖKIVS vrna,
Syndicus ac Doctor clara Lubeca tuus.
Qui pietatis amans iuriſque peritus abunde
In patriae ſtudium contulit omne decus.

Tandem pertaesus terraque marique laborum,
Conspectu gaudet notitiaque Dei.

HENRICVS WEDEMHOFIVS.

Multum laudis ac gloriae continet Inscriptio, qua epitaphium eius in templo Mariano exornatum:

Memoriae Nobiliss. & Magnifici Viri, Dn. HENRICI WEDEMHOFII (g) *ICti, Imperialis Lubecae Consulis optime meriti, qui A. MDLXXXIV. XI. Septemb. natus, A. MDCLI. IX Ian. mortalitatem expleuit:*

Non Pylos aut Ithace tantum genuisse videtur,
Hunc quantum genuit magna Lubeca virum.
Dextra quidem artificis faciem WEDENHOFII adumbrat;
Ingenii dotes pingere nulla valet.

PAV-

(g) Differt ab illo HENRICVS WEDEMHOFIVS, Senator Lubecensis, cuius epitaphium in templo Mariano hac elegantissima se commendat inscriptione:

Quid hanc procul tabulam viator aspicis?
Quaerisne galeam & clypeum, nostra insignia?
Aut gesta gestis scire? en cranium hoc ossaque!
Haec galea & hic clypeus, notant insignia haec,
Nos vniuersos vnius esse stemmatis.
Vis gesta? peccaui ego, peccarunt coeteri?
Hinc par ad vnum omnes tulimus stipendium.
Sed heus quiescenti caue molestias
Crees. Breui resurgendum mihi. Vale.

Anno 1589. Saturni 22. Februarii obiit
Dn. HEINRICVS WEDEMHOF, quondam
Senator Lubecensis.

PAVLVS WIBKING.

In templo Mariano conſpicitur

Epitaphium Amplisſimi D. PAVLI WIBKINGI, Conſulis Lubecenſis, pie mortui XI die Sept. anno MDLXVIII.

Balthica cum rabidis flagrarent littora bellis,
Obſtreperetque vagus qui vocat arma furor;
Conditus heu tenui praeſtans eſt Conſul arena,
PAVLVS WIBKINGVS, maximus vrbis honos.
Quem genus a priſcis Wibkingis ducere conſtat,
Notum Saxonicis vrbibus atque locis.
Clarus in hac pater vrbe fuit, ſummusque Senator,
CONRADVS WIBKING, marte togaque pius.
Ciuibus ergo ſuis carum te, PAVLE, reliquit,
Ingenio natum conſiliisque parem.
Iura dabas Conſul magna grauitate fideque,
Nec pietatis erat cura probata minor.
Hinc tua fama bonis paſſim notisſima viuit,
Viuit, & eximia laude perennis erit.
Saepe foris Conſul Legati munere functus
Regibus es carus Principibusque viris
Luſtra tuae fragilis vitae duodena peracta
Florida foecundi luſtra parentis erant.
Mente mares praeſtante nouem, totidemque puellas,
Quattuor ex thalamis pignora dinumeras.
Confectus patriae curis, morboque peremtus,
Viuis in aeterna pars quotacunque Schola.

Eſſe

Esse tuo vultu sentimus triste carere,
Sed iunges iterum corda beata Deus.

GOTSCALCVS a WICKEDEN.

Iam an. 1501 fuit Consul Lubecensis HERMANNVS a WICKEDE, ex cuius generosis posteris, meritis in Remp. nostram illustribus, est hic Consul, cuius effigies in templo Mariano hanc sub se habet inscriptionem:

D. O. M. S. & memoriae Dn. GOTSCALCI a WICKEDEN, in Casdorf & Wisseloë Haereditarii, Reipublicae Lubecensis Proconsulis XXIII annorum, patri patriae bene merito, LXX annorum seni, quinque coniugum coniugiis felicissimo, IX liberorum parenti optimo, quorum III praemisit ad coelestia gaudia, VI adhuc reliqui in hac vitali miseria, cum relicta vidua, Dn. MARGARETA SOPHIA ELVERS, anno MDCLXXIII pietatis & venerationis memores b. p. c.

Hos Consules, qui (vna cum pluribus aliis) forsan omnes in Schola patria sunt eruditi, quamuis certi quid hic definire non audeam, excipient nunc alphabetico itidem ordine ii, quos in nostra piae eruditionis & eruditae pietatis officina fuisse formatos, certum est. Et primo quidem loco celebrandus venit

HENRICVS BROKES.

Viri huius mea laude maioris ortum Lubeca nostra gloriae suae haud exiguam partem existimat. Natus autem an. 1567. d. 3 Octob. patre IOANNE BROKES, Senatore 1564. d. 7 April.

April: classis Praefecto an. 1567 ac demum Consule an. 1573 electo, annoque 1585. d. 29 Mart. defuncto; matre CATHARINA KöHNEN. Pater probe gnarus, institutionem publicam priuatae omnino esse praeferendam, filium publicis doctoribus erudiendum tradidit. Dabo studiorum rationes ipsis Brokesii verbis, desumtis ex magno Diario (quod κειμήλιον nobiliss. noster Brokesius, V. I. D. celeberrimus, possidet), in quo res a se gestas diligentissime manu sua descripsit. *Ich bin*, inquit, *erstlich in die teutsche Schule gegangen auf dem Kirchhoff oben der Fisch-Strassen zu einem Meister, der war lahm, mit Nahmen* Hinrich von Lampen. *Sobald ich ins achte Jahr kam, hielt mir mein Vater einen Paedagogum, und schickte mich nebst meinem Bruder Cord in die lateinische Schule, allda ich alsobald ad quintam classem kam, unter* Joachimo Paschen, *so itzunder Pastor zu Travemünde. Ex quinta classe kam ich in quartam, unter* Nicolao Stint, *itzo Prediger zu St. Jacob; darnach in tertiam unter* Jacobum von der Höge, *der Cantor. In secunda hatte ich nachmahls zu Praeceptoren* Johannem Meineke, *der erstlich Subrector, hernach Cantor ward:* Andream Pouchenium, *des Superintendenten Sohn, so itzund D. Theologiae und Superintendens, auch Professor zu Königsberg ist. Nachfolgends kam an seine Stat der Subconrector* M. Georgius Henninges, *ietziger Zeit Prediger am Dom, und* Nicolaus Vorstius, *Conrector. Rectores waren, wie ich in die Schule ging,* Ioachimus Hansius, *der da starb. An seiner Stat kam ein Professor von Helmstädt, mit*

mit Nahmen Pancratius Krüger, *war ein gelehrter und beredter Mann, ſowol in Lateiniſcher als Teutſcher Sprache, aber konnte ſich übel mit dem Miniſterio ſtellen, darum er auch von binnen Uhrlaub nahm und wegzog. An.* 83 *kam ich in primam claſſem, alda wir gute exercitia hatten, und ward ich ſtarck von Pancratio Rectore angehalten* &c. - - *An.* 86 *gegen Oſtern, da eben zu der Zeit* M. Joachimus Dreyer, *ſo itzund Conrector alhie iſt, von Roſtock gen Tübingen wolte verreiſen, begehrte ich von meinen Vormündern, Sie ſolten mich zu ihm, als privato praeceptore, beſtellen, und mit ihm gen Tübingen ſchicken, welches auch geſchahe.* Finitis quinque annis Academicis, totidem itineribus in Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Angliam & Belgium ſuſceptis conſumſit, & deinde Spiram, vt intereſſet iudiciis Camerae Imperialis, accesſit. An. 1601 d. 21 Iun. Senatoribus ciuitatis noſtrae, an. autem 1609. d. 21. Iul. Conſulibus fuit ſolemni ritu adſcriptus. Vtrumque munus grauisſimum fide, labore, prudentia, eruditione felicisſime ſuſtinuit, ſaepe miſſus Legatus in Belgium, Angliam, Galliam, Hasſiam, Hiſpaniam (de qua ſplendida legatione, qua Noſter a Lubecenſibus, Hieronymus Vogler ab Hamburgenſibus & Arnold von Holten a Gedanenſibus ad Regem Hiſpaniae PHILIPPVM III an. 1607 ablegati, legi etiam meretur L. B. F. H. Vita Hier. Vogleri ap. Celeberr. Fabricium T. I. Memor. Hamburg. p. 181 ſqq) & alias regiones, rebusque feliciter expeditis Lubecam reuerſus. Annales eſſent conficiendi, ſi omnes iſtas legationes prolixe ex laudato Diario, magnae molis libro, vellemus

lemus deſcribere. Solum compendium, quod ipſe Brokeſius etiam adornauit, haud exiguum ſcriptum eſt. Ex eo bona fide dabo nonnulla, e quibus Noſtri integritas & ardor promouendi res ciuiles pariter ac ſacras eluceſcet. Animum ingenuum ac modeſtum produnt ſtatim verba, quibus dicendi facit initium: *Damit ſo wol meine Erben und Nachkommen, als auch andere wiſſen mögen, daß, nachdem GOTT der HERR mich zum Stande der Obrigkeit unwürdig beruffen, ich nicht allewege in Herrlichkeit, Freude, gutem ruhſamen Leben und Wolluſt meine Tage zugebracht, ſondern in die Zeiten leider! gerahten bin, da dieſe gute Stadt in groſſer innerlicher und äuſſerlicher Weitläufftigkeit, Verfolgung, Bedruck und Beſchwer ſteckete, dabey ich meine Arbeit nebſt andern genugſahm gefunden; So habe ich guter Wolmeinung, und nicht ohne Urſach, zur Nachrichtung alhie, kürtzlich und mehrentheils remisſiue, aufzeichnen wollen, was meine ordinarie und extraordinarie Arbeit und Verrichtung, ſonderlich von Anno* 1601, *da ich zu Rathe erwehlet, bis daher geweſen, und was nöthige und nützliche Dienſte ich (ohne üppigen Rhum zu melden) zu unterſchiedenen Zeiten dieſer guten Stadt geleiſtet, und mich ihrentwegen, wie billig, und einem getreuen Patrioten gebühret, gebrauchen laſſen. Daraus nun kan erkant und geſehen werden, ob ich dasjenige, was ich von dieſer guten Stadt genoſſen, auch wol verdienet und verſchuldet habe.* Quanto rerum ſacrarum Lubecenſium recte peragendarum amore flagraverit, inde patet, quod ipſius cura ac ſtudio duobus Praeſulibus meritisſimis, *Georgio Stampelio*

pelio & *Nicolao Hunnio* Lubeca fuerit ornata. *Anno* 1611, inquit, *um Pfingsten habe ich mit grosser Bemühung befördert, daß ein fürnehmer Theologus und Professor von Franckfurt an der Oder, nemlich M. Georgius Stampelius, alhie zum Pastorn an S. Peters Kirchen vociret ward, so hernach Superintendens geworden.* De Hunnio ad an. 1623 ita scribit: *Wie auch in diesem Jahr ein neuer Pastor zu St. Marien solte erwählet werden, und das gemeine Gebet bereits 14 Tage ergangen, habe ich betrachtet, daß höchst von nöthen, daß ein erfahrner und gelahrter Theologus wiederum in das Ministerium und zum Pastorat der fürnehmsten Pfarr-Kirchen möchte bestellet werden. Jch habe darauf mit H. Alexandro Lüneborg und H. Jürgen Pauls wenig Tage vor der Wahl ihnen einen berühmten Theologum, nemlich Nicolaum Hunnium, Doctorem und Professorem in der Universität zu Wittenberg fürgeschlagen, weil mir derselbe von H. Johann Zeidler war commendiret, mit Anwarung, daß derselbe sich dazu wol würde bequemen. Worauf auch durch Gottes Schickung die Wahl wieder Vermuthen einhellig ergangen, seine Vocation geschehen, auch die Dimission auf des Rades Schreiben an den Herrn Chur-Fürsten zu Sachsen erfolget, und ist der Doctor Hunnius folgend gen Lübeck gekommen, den 25. Maii die erste Predigt gethan, und in sein Ampt getreten. Menschlicher Weise ist diese Vocation, wie vorgedacht, durch mich befördert worden. GOtt gebe, daß es wohl gerathe, und er in seinem Ampte viel Frucht schaffen möge!* Sane qui diuinas Hunnii dotes rite novit aestimare, ob has cineres quoque Brokesianos venerabitur & Consuli nostro operam

Hunnio Lubecam vocando nauatam ad laudem ſufficere poſſe exiſtimabit, ſi nulla alia eius merita extarent. Deprehendimus autem magnam meritorum in res ciuiles copiam, quando legimus, quae de tabulario publico, quod archivum vocant, diplomatibus, mandatis, decretis & huius generis litteris ac ſcriptis aliis in ordinem, ipſo dirigente, redactis memoriae prodidit. *Den vorigen Sommer*, ſcribit ad an. 1610, *und dis folgende Jahr war ich noch bey der Treſe, und nachdem ich bey den Priuilegiis und verſiegelten Briefen groſſe Unordnung und Confuſion befand, daß man ſchwerlich etwas finden konnte, wann man es nöthig hatte: ſo habe ich mich unternommen, etliche Laden durchzuſehen, und in gute Richtigkeit zu bringen. Habe einen Anfang gemacht von den Kaiſerlichen Privilegien und Briefen, und davon eine Deſignation gemacht, nach Ordnung der Kaiſer und der Jahre, anfangende vom Kaiſer FRIDERICO I Barbaroſſa, biß auf den ietzigen RVDOLFVM. Imgleichen habe ich in gute Richtigkeit gebracht die Mechelburgiſche, Holſteiniſche, Sächſiſche, Mölniſche, Ritzerauiſche, Bargetorfiſche und Hamburgiſche Briefe in unterſchiedlichen Laden, und habe bey ieder Lade eine Deſignation verfertiget.* Huc pertinent, quae ad an. 1622 commemorat: *Den 24 Octob. nachdem die Regiſtratur in groſſer Confuſion und Unordnung, auch übel verſehen, habe ich mit ſonderbahrem Fleis befordert, daß Doctor Winckeler zur Reviſion und Anſtellung beſſer Richtigkeit und Ordnung der gantzen Regiſtratur Friderico Pöpping zugeordnet worden, dem auch eine Anweiſung von mir geſchehen, wie damit*

zu

zu verfahren, welches eins von den nothwendigsten Stücken dieser Regierung gewesen. Haec pauca ex plurimis vtilissimis negotiis selegi. Praemia laborum Noster retulit Principum beneuolentiam, cuius documenta sunt catenae & imagines aureae, quas PHILIPPVS III Hispanus, IOANNES CASIMIRVS Saxo & MAVRITIVS Hassus ei donarunt: amorem ciuium, qui non potuere non tantum Consulem venerari, & gloriae amplitudinem, quae perpetuo durabit. Confirmantur a me dicta disticho, quod Consulis nostri epitaphio in Mariano templo inscriptum:

Consulis HINRICI sunt haec insignia BROKI,
Cui vix prisca parem secla tulere virum.
Natus A. C. cIɔIɔLXVII. III Octob.
Mortuus A. cIɔIɔCXXIII. XIX Decemb.

Fratrem habuit OTTONEM BROKES, natum an. 1574. d. 13 April. electum Senatorem illustris huius Reipublicae an. 1628 d. 20 Dec. & tandem etiam an. 1640 ad Consulare fastigium promotum. Memoria optimi viri in eodem templo sequenti inscriptione conseruatur:

D. O. M. S. & memoriae Magnif. & Ampl. Dn. OTTONIS BROKES, Consulis Reip. Lubec. post patrem IOAN. & HENRICVM fratrem Coss. Postquam is per XXIV ann. Republ. summa integritate administrata, ad meliores euocatus, priscae fidei, me-

ritorumque in ciues optimam reliquisset memoriam, filii nepotesque h. m. p. Nat. A. cIↃIↃLXXIV. mor. cIↃIↃCLII. aetat. LXXIIX.

HENRICVS COLERVS.

Virum diuinarum humanarumque rerum stupenda cognitione praeditum & multis magnisque meritis ac virtutibus illustrem summis iure annumeramus viris, quos Lubeca nostra produxit. Annus autem agebatur millesimus quingentesimus septuagesimus & sextus, cum Noster VIII Id. April. lucem aspiceret. Patrem accepit ANTONIVM COLERVM, Lubecensem, virum excellentissimum, quem illustrissimus Borussorum Dux ALBERTVS I consiliorum suorum arbitris adscripsit, ipse vero munere egregio per aliquot annos felicissime functus, sponte ob certamen, quod in Borussia ortum erat, Osiandristicum in patriam reuersus est, & reliquum vitae tempus excolendae sincerae pietati ac liberali honestarum litterarum otio consecrauit. Matrem osculatus est AGNETAM, CHRISTOPHORI TODENI, Consulis Lubecensis optimi, filiam, vera, quam virtutes dant, pulchritudine conspicuam. Auum sibi gratulatus est HENRICVM COLERVM, Senatorem Lubecensem, qui, teste Bangerto in Orat. de nostro Colero p. C 2 sq, *primus & praecipuus fuit, qui monachorum turba dimissa Confessionis Augustanae inuariatae introductionem, eiusdem*

dem

dem constantem conseruationem, veri & puri cultus diuini atque Christianarum ceremoniarum in vrbe & extra eam in Lubecensium dioecesi institutionem magno pietatis feruore promouit; qui iis, quibus parentum egestas sumtus ad litterarum studia necessarios suppeditare nequit, quatuor stipendia legauit, ex quibus duo quidem hic Lübecae, tertium Luneburgi, quartum vero Stadhagae exhibetur: Rostochii autem peculiare collegium fundauit, quod Colerianum vocitatum. Ex horum praeclarissimorum virorum indole hausit noster, qui ab ineunte aetate virtutis & optimarum artium fuit studiosus. *In patrio ludo*, inquit Bangertus p. D, *HENRICVS studiorum suorum eiusmodi dedit specimina, vt quid sibi de eo polliceri patria deberet, haud obscure coniicere liceret. Tanta erat eius in tractandis bonis litteris solertia, tanta in moribus modestia, vt vtraque & Praeceptoribus ipsum vehementer se commendasse, & commilitonibus facem alluxisse vno ore testentur nunc grandaeui senes, qui tunc pueri cum puero eadem scholae triuere limina: aequalium illo tempore nullo inferior, plerisque autem superior fuisse ab ipsis dicitur, & id quidem, quod raro videas, cum omnium beneuolentia: vt enim iudicio aetatem, sic ingenio antecurrebat doctrinam. In Latina lingua puritatem magno studio sectabatur: in Graeca vero ita profecerat, vt in extrema pueritia, cum nondum septendecim compleuisset annos, conciones sacras a mystis ad populum in templis dictas ex eodem ore Graece calamo exciperet: poëtam vero Aeschylum, qui vel exercitatum in Graecanica literatura fatiget, proprio studio, absque interprete,*

cum fructu legeret (h): *anno autem aetatis octauo & decimo ad Academiam commigraturus, Lyceum hoc, cuius tam diligens auditor hactenus fuerat, oratione ita ornata atque rerum grauitate instructa publice habita valere iuberet, vt omnes docti eum mirarentur, Gualtperius autem, tum Scholae Rector, & ingeniorum accuratus censor, multis praesentibus diceret, magnam spem patriae in isto iuuene esse repositam.* Praeclarissime igitur res suas in schola nostra egit vna cum paedagogo suo, *Ioanne Mollero*, cuius laudes cum Colerianis Bangertus coniunxit. *Vellem*, ait pag. D 2, *nunc meros Coleros & Molleros haberemus, id est, discipulos & paedagogos, qui frequenter vna ad scholam commearent, & nec disciplinae fuga, nec praematurae sapientiae opinione decepti domi delitescerent: Sic enim & schola floreret, & studiis ipsorum magis consuleretur, & tales viri exspectandi nobis essent, qualem in Colero amisimus.* Similis gloria ex eius vita in Academiis Rostochiensi (vbi in primis adhaesit Christophoro Sturcio, ICto), Coloniensi & Argentoratensi acta, velut ex optimo fonte emanauit. Non enim,

(h) Imo vero Martinus Masius, priuatus olim Antonii Coleri praeceptor, deinceps Slagesdorpii in agro Raceburgensi Pastor, in Vitae suae Enarratione annotatum reliquit, Henricum nostrum praeter Homerum ac Hesiodum, quos in schola publica audiuerit, Pindarum etiam, Sophoclem, Theocritum, Lucianum, Tryphiodorum Aegyptium, Lycophronis Cassandram aliosque auctores Graecos absque interprete legisse & intellexisse. Vid. Bangert. in Commentat. de Antonio Colero pag. F.

enim, cum ad iurisprudentiam vellet animum adiicere, reliquas ſcientias negligebat, ſed humaniores quoque ac philoſophicas ſibi valde habebat commendatas, probe gnarus, ſolidam iuris cognitionem ſibi acquiſiturum iſtis poſſe neutiquam carere. Quo autem exercitatus euaderet ICtus, theoriae, vt vocamus, praxin mature adiungebat. Nam *quod autumaret*, reddo Bangerti verba p. E. 2, *non ſufficere praeclaram in iure cognitionem, niſi & uſum eius accurate perdidiciſſet, Spiram Nemetum ſe deportabat, vt diſceptandis quotidie arduis maxime negotiis ſolidiora iuris fundamenta iaceret, & omnem iuris proceſſum, quem ita vocant, non de naeuo aliquo aut crepundiis, ſed toto corpore cognoſceret.* Quo facto, Italiam, Galliam, Angliam ita luſtrabat, vt maximus inde ad ipſum fructus redundaret. Ex memorabilibus huius itineris prudentisſime inſtituti iſtud obſeruo, quod, eodem Bangerto teſte, *narrauerit ſaepe, quomodo viderit Clementem, hoc nomine octauum, aureo ſuo malleo portam diui Petri percutientem atque aperientem, quem alii ſecuti, lapides comminuerint; multos autem ad verbera vsque de fruſtulis contendiſſe, tanquam certisſimis indulgentiarum pro peccatis pignoribus: Papae etiam effigiem, variis metallorum generibus impreſſam, in turbam proiectam eſſe, & alias ceremonias vſurpatas, quae iubilaei illius centenarii ſolennia ad plenam peccatorum omnium remisſionem viderentur requirere.* Domum reuerſi fama mox perlata eſt ad HENRICVM IVLIVM, Brunsuicenſem, in cuius Conſiliariorum numerum parum aberat, quin fuiſſet cooptatus.

Vix redierat, ſcribit Bangertus p. F, *cum eruditio eius inſignis illuſtrisſimo Brunouicenſium Duci Henrico Iulio innoteſceret, a quo in controuerſia illa grauisſima, quae inter ipſum & ciuitatem diſceptabatur, conſultus, cum conſilium erudito ſcripto comprehenſum dediſſet, & quod tam ipſius Principis, quam ciuitatis officium eſſet, ſi redire in concordiam vellent, ſine ſimulatione oſtendiſſet, ita illud prudentisſimo Principi placuiſſe dicitur, vt de eo in conſiliariorum ſuorum numerum aſſumendo ſtatim cogitarit, & feciſſet, niſi Colerus ab aulica vita alienior patriae, cui omnia debemus, ſe ſeruare, & illius ſpem non modo non fallere, ſed ſuperare omnino ſecum conſtituiſſet.* Imo vero ſuperauit. Superauit eruditione: ſuperauit amore erga litteras & earum fautores: ſuperauit meritis & virtutibus omnem laudem tranſcendentibus. Eruditio eius fuit adeo excellens, adeo multiplex, vt Polyhiſtoris nomen omni iure mereatur. Laudatus ſaepe Bangertus mirum in modum praedicat cognitionem, quam habuit, linguarum, philoſophiae, matheſeos, hiſtoriae, medicinae, iuris & ipſius ſanctioris diſciplinae, quam Theologiam vocamus. Non repetam omnia praeconia a Bangerto ei ideo delata, eruditionem tamen Graecam, Hebraicam & ſacram, in ICto profecto demirandam, non poſſum non teſtimoniis optimi viri probare. *Graecorum*, inquit p. F. 2, *linguam ita excoluit, vt & proprietatem & nitorem illius felicisſime aſſecutus ſit, & Graecos atque Latinos auctores nullo linguae diſcrimine legerit. Recte enim ſtatuebat, absque ſolidiori Graecarum litterarum cognitione neminem vnquam viri ſoli-*

de

de docti nomen tueri posse. In Hebraica autem, in qua Iudaicae genti diuina oracula primum credita & commissa sunt, ita profecit, vt sacrorum librorum translationes cum Hebraeis codicibus conferre de earumque fide certius iudicare posset. - - - - Venio nunc, pergit p. G, *ad theologica viri studia. Quasi & de suggesto populum sacra docere & simul eidem e tribunali ius dicere vellet, ita ad vtramque scientiam se exercebat; eratque hoc ipsi eo procliuius, quod non neglexisset ea cum plerisque, quae sunt theologici studii firmamenta, & quibus solide positis illud feliciter superstruitur; linguarum studia dico. Harum praesidio munitus ad intima quaeque scrutanda peruenire & studebat & poterat. Frequens igitur erat in lectione Biblica, annotabat, excerpebat, conferebat ipsas sacras Scripturas inter se, & cum bonorum auctorum monimentis: nihil ita sublime, ad quod acie mentis pertingere sibi non proponeret, nihil ita reconditum, quod inuestigare non conaretur, nihil ita obscurum, in quo intelligendo non laboraret. Non igitur contentus cursoria ista, quam ita vocamus, lectione sacrorum librorum, quamque sufficere istius professionis hominibus etiam docti quidam iudicant, iungebat accuratam illam, qua singula ad originis fidem diligentius examinantur & excutiuntur. Si viro per vitae rationes licuisset animum ad scribendum appellere, nil nisi quod a consummato & cultissimo ingenio proficisci posset, exspectandum ab ipso fuisset. Reliquit sua manu scriptas* Notas ad multa loca Biblica, *in primis tamen* ad totum Dauidis sacrorum hymnorum librum, *in quibus ad veritatem Hebraicam examinat & cum LXX. Interpretum versione accurato iudicio confert,*

quae discedere in aliorum translationibus ab origine ipsi videbantur. Et quod vel ipsum momum in admirationem rapiat, si tamen tanta virtus momum habere potuit, in quo argumenti genere, ea quidem methodo, paucos ante ipsum tentasse aliquid videmus, ex quatuor Euangelistis inter se collatis vnam perpetuam effecit narrationem, quam Harmoniam paraphrasticam *liceat dicere, dictione quidem ita pura & castigata, quae viri elegantissimum scriptionis genus arguat, ordine autem historiae ita studiose obseruato, qui iudicium eius summum ostendat.* Neque ipsa muneris grauitas est senectutis incommoda a tenacissimo bonarum litterarum studio eum potuerunt retrahere. *Colerus*, refert Bangertus p. L 4. sq, *vt in omni vita sua optimis studiis impense deditus fuerat, sic toto Consulatus sui tempore, quem tot annos principe loco gessit, illis ita excellebat, vt pauci docti assequi possent: reipublicae autem ita praeerat, vt diuino quodam munere huic urbi a Deo datum eum esse statuendum sit. His duabus enim rebus antecellere ceteris studebat, optimarum artium scientia & maximarum rerum gloria, quarum alteram sibi viuo nunquam eripi passus est, alteram mortuo ne invidi quidem labefactare vllo modo possunt. Quae in plerisque aut plane non coniunguntur, aut remissius, si adsint, tractantur, litterarum studium & grauium curarum administratio, ea in ipso sene ambo ita concurrebant, vt vtrumque felicius praestaret, quam multi, qui horum alterum sibi sumunt. Quis senem vidit vnquam sine libro aut charta? quis non aut legentem, aut scribentem inuenit? Nulla vnquam in ipso praeterquam temporis est animaduersa auaritia: studia*

ipsi

ipsi vita erant: officii labores delectatio: meditatio animi quies: variarum rerum scientia deliciae: sapientum virorum scripta summa recreatio. Tantus discendi semper amor nullam aetatis eius partem a praeclaris studiis relinquebat vacuam: tanta mentis in officii partibus obeundis agitatio nunquam eum a magnis memorabilibusque rebus quiescere sinebat. Veteris Testamenti Graecos libros, & inter hos Ecclesiasticum, cuius dialectum inprimis probabat, primae item Ecclesiae scriptores Graecos, quos Patres appellamus, assidue sine interpretum ope legebat: Plutarchum, Xenophontem, Herodotum, horumque similes auctores ad rationem gubernandae reipublicae pertinentes studiosissime peruolutabat; nec vero quid vellent, ab interpretibus mendicabat, sed ex ipsorum ore hauriebat. Latinos autem, & inter hos praecipue Tacitum, ciuilis rei auctorem maximum, & Florum non legisse, sed edidicisse videri poterat, ita cum quid ex illis commemoraret, integras periodos cum stupore audientium recitabat. In illorum vero auctorum lectione, quos ob accuratum in veteribus scriptoribus euoluendis & imitandis iudicium criticos nominamus, & quibus aemulandis dignosci ingenia singularia a vulgaribus solent, ita fuit semper assiduus, vt acutissimus Kirchmannus, qui in hoc litterarum genere excellebat, ipsi accurati critici laudem saepe coram doctis tribuerit. Quos enim vel sapiens Graecia dedit, vel ingeniosum Latium produxit auctores elegantes & graues, terebat assidua manu. In his, instituto Plinii, nihil fere legebat, quod non excerperet, imo quod memoriae non infigeret; quibus rebus factum est, vt inexhaustum omnigenae eruditionis esset promtuarium. Laudatissimo hoc litterarum

rarum ſtudio meritorum & virtutum gloria non eſt minor cenſenda. Splendidum Senatoris in Republica noſtra munus ſuſcepit an. 1617. XIII Cal. Febr. & ſeptem annos geſſit ita, vt *recte*, vtor verbis Bangerti p. H. 2, *geri putaretur, quicquid Colero committebatur*; ita, vt maximi momenti legationes obiret, & ſeptennio viginti duas optime expediret. Ad illuſtrem vero Conſulis dignitatem an. 1624 die, qui a Thoma nomen accepit, peruenit. Vtramque ſpartam ornans omnibus fuit admirationi ob pietatem, quam, praeter alia, probat eius ſymbolum: *Surſum corda*, & confirmat tabula, quae eſt in templo noſtro Mariano, aenea, ipſius iuſſu in memoriam auorum, qui illam dedicarant, renouata, quae duobus diſtichis, ab ipſo Colero confectis, fuerunt inſtructa. Primum depingit ſeueriſſimum, quod futurum eſt, iudicium:

Iudice quoque ſui ſi nemo abſoluitur, hem quid
Si abſoluendus erit iudice quisque Deo.

Alterum vanitatem rerum, quas mundus poſſidet, deſcribit:

Quid quis? quid non quis? nihil omne. Quid omne nihilve?
Nil omne, omnis homo, ſcilicet omne nihil.

Quae de reliquis eius virtutibus, fortitudine, candore, iuſtitia, legum ſanctione, in laboribus ferendis promtitudine, ſobrietate & aliis Bangertus diligentiſſime memoriae prodidit, ita ſunt comparata, vt ſempiternae gloriae Colerum commendent. Idem faciunt eius merita in rem-

rempublicam ciuilem, quam ad vitae vsque finem ita gubernauit, vt fuerit *ciuium*, verba cito Bangerti p. M1, *consentiens super ipso elogium, optime de tota republica esse meritum.* Faciunt merita in rempublicam sacram & litterariam (nam quid est bene mereri de scholis publicis aliud, quam bene mereri de re litteraria?) quae Bangertus p. K sq hoc modo praedicat: *Si Colerus Consul nullis aliis rebus aeternam sui memoriam nobis commendasset, poterat sola ad id sufficere illa ipsius sine exemplo erga ecclesiam & scholam huius ciuitatis summa cura & beneficentia. Extitit singularis eius & plane sincerus amor erga verbi ministros, vt quibuscunque rebus illorum commodis vtilitatique seruire posset, siue stipendiis augendiis, vt necessariis vitae subsidiis non destituerentur, siue causis eorum in Senatu agendis, nunquam consilio, nunquam opere illis defuerit - - - Vbi autem post mortem Consulis Vinhagii etiam scholae cura eius fidei commissa esset, tota mente in rem scholasticam incubuit; quam submouere illa retinacula, quibus cursus lectionum impediri, quam solicitus esse in istis rebus efficiendis solebat, quibus Lyceum amplificari & illustrius reddi posset. Intelligebat enim, scholarum rationem implicitam esse cum ipsa republica & ecclesia, ruere illas non posse, vt hae non eodem labefactatae motu concidant. Si quando post examina publica de schola caperentur consilia, saepe integros aliquot dies cum quibusdam e Senatu ad eam rem delegatis, Superintendente, Pastorum collegio, scholae item Rectore & Prorectore in seram vsque vesperam insumebat. Disputationes vero Logicas, quae iudicium adolescentum acuunt atque confirmant,*

mant, & Hebraicae linguae exercitium, cuius necessitatem illi intelligunt, qui nos ea carere non posse intelligunt, magno cum discentium fructu in scholam introduci curabat: ingeniis autem excellentibus mirifice semper delectatus, si quae de meliori nota ei commendarentur, horum studia quacunque ratione posset, iuuabat; in primis illis reditibus, quos litterarum studiosis tenuioris fortunae maiores pia liberalitate legarunt. Atque hic est magnus ille Colerus, de quo, praestantiam eius intuens, fateor, pauca me attulisse, plura quidem dixisse Bangertum, sufficientia autem vix a quoquam posse commemorari. Dignus igitur omnino est laude, quae in eius epitaphio, quod templum nostrum Marianum honorificentissimis suis ornamentis accenset, hodieque apparet, & hic meretur apponi:

HENRICVS CÖLER, Cos. senior filius ANTONII, sub lapide proximo, maiorum insignibus inscripto, vna cum parentibus & auis suis, ibi conditis, exspectat reditum Salvatoris. Natus A. 1576. Obiit 1641. 27 Martii.

Non maior Romae nec visus Consul Athenis,
Gaudet in hoc tanto clara Lubeca viro.

ANTONIVS COLERVS.

Optime iudicauit Ioannes Strauchius, magni nominis ICtus, in Epistola Commentationi de hoc summo viro Bangertinae praefixa, in Colero alterum Pomponium Atticum, in Bangerto

gerto alterum Nepotem exhiberi. Vtrumque recte ſe habet. Si quid autem nimii forſan in Bangertum amoris hoc iudicium habere videatur, certiſſimum tamen eſt, Colerum Attico non ſolum fuiſſe parem, ſed ſuperiorem, imo Henrico fratre vix inferiorem. Felix igitur fuit Lubeca noſtra, quae hunc etiam an. 1585 d. 30 Mart. in lucem bono publico editum eſt conſpicata. Patrem ANTONIVM COLERVM iam ſupra laudatum Bangertus in Vita Noſtri dicit ſecretiorem Alberti I, Boruſſorum Ducis, Conſiliarium & Vice-Cancellarium, refertque p. C, eum, *cum in Principis ſui gratiam Andr. Oſiandri ſententiam* (de Iuſtificatione) *probare non vellet, in patriam, relictis aulae lubricis, conceſſiſſe, & hic vitae reliquum Deo, amicis atque ſibi inſerviendo exegiſſe.* Matris AGNETAE commemorabilis quoque fuit pietas, cuius, vt alia ſilentio praeteream, egregium indicium eſt, quod, exeuntibus ad ludum litterarium filiis, in genua ſit prolapſa, horam integram, vt retulerunt domeſtici, pro filiis humillimas fundens preces. His precibus maxima ex parte puto tribuendam eſſe diuinam plane virtutem, quae in Colero diſcipulo, Academico, peregrinante, Conſiliario, Legato & Conſule ſemper eluxit. In ſchola publica ita ſe geſſit, vt omnibus diſcipulis poſſit in exemplum, quod imitentur, iure proponi. *Publicam*, inquit p. D I Bangertus, cuius verbis, propter rei inſolentiam, malo, quam meis, vti, *tunc ſcholam magna cum laude Otto Gualtperius regebat, Theologiae*

giae Doctor & ante Hebraearum Graecarumque litterarum Marpurgi Cattorum Professor, vir a linguarum, artium & rerum Theologicarum cognitione instructissimus. Huic itaque in disciplinam noster datus, gratissimum se ei per omnem vitam discipulum (quae rara magistrorum felicitas) professus est. Nam & in diario suo insignem illi laudem doctrinae tribuit, & quoties eius mentio incideret, praedicare viri in docendo fidem & industriam solitus est. Ea ipsum tradidisse affirmabat, quibus cum lingua animus simul & mores expolirentur. - - - - - - Tum illa (mater) *non sine Numinis prouidentia priuatum nacta filii praeceptorem Andream Fritzium, iuuenem ad formanda bonis litteris & moribus ingenia aptissimum, sub initium anni, qui huic seculo primus fuit. Fritzius ipse Gymnasium publicum frequentabat, & in Classe suprema Gualtperium & Collegas in ea docentes assiduus audiebat, Colerumque suum ducebat reducebatque. Ea,* pergit p. E 1, *qua diximus, sedulitate, ea animi in studiis contentione hoc nostrum a Christo nato sextum & decimum seculum est ingressus, quasi iam animo destinasset, se istius quondam singulare decus & patriae illustre ornamentum futurum. Vsque adeo enim eximiae indolis mature se bonitas explicuit, atque itura in ardua quaeuis industria, vt biennio sub publicorum magistrorum disciplina, & Fritzii cura, exacto, eam sibi in vtraque lingua scientiam compararit, qua postmodum nullius vlteriori ductu, suis auspiciis, quae in studiis ipsi adhuc deerant, tractare & perdiscere posset. Terentium in primis in Latinis: in Graecis Hesiodum adamabat. Auctores hos diurna nocturnaque versabat manu, & inde non singula modo eorum*

eorum verba, sed sententias quoque omnes accurate nouerat. Terentio insuper Ciceronem iunxit & assidue legit, studuitque prae ceteris scribendi huius genus imitari, quo in Epistolis vtitur - - - Annos natus octodecim Colerus ab ipsis magistris suis ob egregia, quae in Examine publico ediderat specimina, dignus iudicatus est, qui ad supremae in schola nostra classis praelectiones admitteretur. Tum vero tanto ardore vtriusque linguae incaluit, studiumque earum prosecutus est, vt solutae & ligatae orationis non contemnenda in iis documenta daret. Extant & litterae & typis exscripta Carmina, quae Graece tunc ab eo composita sunt. Quippe non Latino tantum sermone litteras ad doctos viros exarauit, verum etiam haud raro ad Affinem Albertum Iungkherum, virum amplissimum, Graece scripsit, eique Kal. Ian. anno CIↃ IↃCIV de nato filio Graeco gratulatus est carmine. Scilicet ita se exercere constituerat, vt in doctis nomen aliquando suum profiteri posset, ipsisque aliquando litteris esse decori. Magnum ipsius iam studium, magna & assidua exercitatio. Praeclarum putabat, secum certare & contendere cum suo ipsius ingenio, sine aemulo ac sine exemplo. Neque enim in illa erat haeresi, vt more temporum nostrorum & cum vulgo doctis crederet, aut inepte sibi ab aliis, de linguarum vsu perperam iudicantibus, persuaderi pateretur, Graecarum litterarum notitiam sibi, Themidos sacris destinato, minus fore vtilem, aut non necessariam admodum. Alia mens & melior Colero sedebat. - - - Quare tanta illarum delectatione captus Colerus est, vt in diariis suis, in quibus, quid quoque die egisset, vesperi consignare est solitus, Graece non pauca annotarit, quem

morem multis annis etiam in adultiori ac senili etate non omisit. Nec solas tamen linguas ad sapientiae arcem ducere recte existimabat. Viam aperiunt & sternunt illae quidem, sed rationem ad eam perueniendi Philosophiae studia monstrant. Inde non segniter elaborandum sibi esse in illis ea aetate statuebat, vt iis instructus ad superiora maiori cum fructu accederet. - - - Atque vt nihil eorum, quae solidae eruditioni, firmi fundamenti instar, subiicienda sunt, omitteret, non assiduus tantum in praelectionibus audiendis erat, & Gualtperium, Rectorem in Dialecticis & Theologicis disputantem audiebat, verum etiam quoties ille in priuatis, quae vocant, Collegiis Arithmeticam, Geometriam & Physicam explicaret, semper in iisdem Antonius nomen suum professus, omnigenae videlicet doctrinae sitientissimus, magna auiditate numerandi scientiam, astrorum cursus, & corporum coelestium motus, ipsius naturae vices & fata, rerumque omnium, quae in hoc vniuerso hominis cognitione dignae, continentur, principia & affectiones, spatia tractusque terrarum, vndarum denique vastitatem & miracula cognosceret. - - - - In dicendi facultate qua publice, qua priuatim se exercebat, quam Politico viro non vtilem modo, sed etiam necessariam vsque adeo nouerat, vt haud nesciret, disputatum inter doctos esse, an Orator & Politicus vnus & idem sit, atque parum admodum diffusam quamuis rerum scientiam ad Rempublicam gubernandam valere sine viribus eloquentiae. Taceo *Historiarum* & *principiorum Iuris* exactissimam scientiam, qua itidem fuit ante imbutus, quam ad Academiam abiret. Vid. Bangert. l. c. p. E 4 & F. Confecit itaque tanta

cum

cum gloria ſcholaſticum ſuum curriculum, vt optandum eſſet, omnes ſpectatiſſimum Coleri exemplum imitari. Non elanguit virtus Coleri in Academia Iulia, quam an. 1605, aet. 20 adiit, inque ea per triennium, vt Philoſophiam, praeſertim Politicam, & iurisprudentiam magis excoleret, Io. Caſelium, Cornel. Martinum, Ouenum Guntherum, Henric. Meibomium, Io. Barterum, Eberh. Speckhanium ſedulo audiuit ac valde veneratus eſt. In primis vero ſummo cum emolumento ſuo fruitus eſt amicitia *Guilielmi Boeckelii*, ICti praeſtantisſimi, ciuitatis Syndici & deinceps Ducum Brunſuicenſium Conſiliarii, qui inter maiores ſuos numerat *Cornelium Boeckel*, *cui* (liceat rem memoratu dignam ex Bangerto p. G 4 h. l. annotare) *locus natalis Roterodamum, domicilium Antwerpia fuit, qui ſingulari verae pietatis ac ſincerae Auguſtanae Confeſſionis doctrinae (cuius in ſectatores iam tum in Belgio paſſim grauiter ſaeuiebatur) libere profitendae & colendae ſtudio commotus, tum ipſius Martini Lutheri, Euangelicae fidei inſtauratoris glorioſi videndi & audiendi coram flagranti cupiditate incenſus, relictis rebus ac fortunis ſuis Wittebergam contendit, Hamburgi autem cum familia conſedit, indeque magnam papyri copiam, primis Lutheri operum quibusdam voluminibus edendis, ſuo aere ſuppeditauit.* Sed redeamus ad Colerum, qui an. 1608 Iuliam cum Salana Academia permutauit, inque ea, praeter *Io. Sueuum* & *Fridericum Hortlederum*, doctorem habuit *Andream Gerhardum*, ICtum, quo etiam hoſpite vſus eſt.

Haec *consuetudo*, inquit Bangertus p. H 4, *cum viro optimo aditum illi etiam ad fratrem Ioannem, magnum illum Lutheranae religionis Theologum & de ecclesia Christi summe meritum facile aperuit. Colerus, rerum Theologicarum amantissimus, morum amabilitate & discendi cupiditate animum viri ita sibi conciliauit, vt in quam maxime familiarem vsum eius se insinuaret. Tunc vero frequenter de controuersiis circa res diuinas differentem audiuit, atque ita virum amare coepit, vt illius scripta, diuini spiritus plena, semper postea magno studio legerit, eademque vsque ad vltimum aetatis tempus, cum iam per tenuem valetudinem multa legere amplius non posset, nunquam fere de manibus deponeret.* Simili amore aliorum maximorum Theologorum scripta est prosecutus. *Quotidie*, scribit Bangertus p. N, *ille partem aut in sacris voluminibus, aut in diuinis Lutheri, spiritu diuino afflati, scriptis, aut in reliquis religionis nostrae primariis Theologis legebat, ex iis annotabat, excerpebat. Docent id integri* Excerptorum libri, *quos reliquit: testantur* Ephemerides, *quibus quos Theologorum commentarios (incredibilem & stupendam in viro politico & ciuilibus, vt ita dicam, vndis toto immerso diligentiam!) diebus singulis euoluerit, consignauit: euincit, quod* de conseruandis Canonicorum Collegiis *hoc anno* 1616 *scriptum,* (in quo sine dubio legitimum huius rei vsum & non malam maiorum intentionem, minime autem pessimum, qui saepe oboriri solet, abusum defendit), *quanquam suppresso suo certis de causis nomine, in lucem emisit.* Concinnauit etiam *Catalogum summorum Pontificum in Ecclesia Iudaica*

a redi-

a reditu ex Babylone, vsque ad Hierosolymorum excidium; nec non *Genealogiam IESV CHRISTI ex vtriusque foederis libris.* Imo vero sacrum codicem, ciuilibus negotiis non impeditus, tanta industria tantaque intelligentia legit, relegit, annotationibus praecipuorum Theologorum auxit & in succum sanguinemque conuertit, vt Bangertus l. c. p. O 1 haec verba protulerit: *Theologum summa cura & pertinaci studio diuinam tractantem disciplinam & scientiam, non Iurisconsultum, non aulicum, non Politicum, Principum negotiis & clientum causis totum vndique circumuallatum videre te cum summa admiratione dixisses.* Didicerat autem Noster in iuuentute adeo feliciter, vt alios mox posset cum fructu docere. Etenim Ienae degens scholas Iuridicas non sine applausu aperuit. *Victus*, ait Bangertus p. I 3, *magnorum virorum auctoritate, Collegium, cuius primas aliquas lineas contubernalis ipsius Ioannes Peinius, perdoctus iuuenis, postea Syndicus Vratislauiensis, duxerat, de integro aperuit & intra anni fere spatium absoluit. In eo praecipuas Iuris quaestiones se Praeside disputandas proposuit, illasque postea sub initium anni* 1611 *sub titulo* Isagogicae Iurisprudentiae, *volumine sic satis amplo, vulgauit. Librum non Iurisconsulti solum, sed & celeberrimus ille Historicorum coryphaeus, Elias Reusnerus, luculento honestauit encomio.* Inter itinerum, quibus deinceps se accinxit, memorabilia isthaec non tacenda, quod contra duos Pontificios Lutherum, vt hoc hominum genus consueuit, atrocissimis conuitiis proscindentes, summi viri fa-

mam ac doctrinam egregie vindicauerit, &, cum esset Theologiae peritissimus, alterum *Franciscum Sparrium de Greiffenburg*, D. Marci Equitem, ad silentium adegerit; alterum vero *Clodoueum Gereusium de Valle*, nobilem Gallum, licet vehementer fureret, tandem tamen omnibus dubiis ita liberarit, vt Lutheranam doctrinam se non posse non amplecti, sponte sit professus. Fusius haec narrat Bangertus p. K 2 sq. Anno 1612 factus est Canonicus Brunsuicensis: anno autem sequenti, vt impetraret dudum meritos summos in vtroque iure honores, eruditissimam, quam ipse conscripserat, *Disputationem de Iure Imperii Germanici*, approbante tota Iulia, pro rostris Academicis contra dissentientes defendit; interiectis autem duobus annis Doctor solemni ritu est creatus. His honoribus auctus, Canonici cathedralis Ecclesiae Halberstadiensis, Augustanae Confessionis socii, Consiliarium suum eum constituerunt. Hanc spartam cum quatuor annos ornasset, dignitatem Consiliarii intimi Brunsuicensis & supremi iudicii Guelpherbytani accepit, summa semper gratia dignus existimatus. Anno 1622 munus Consiliarii, Praesidis Senatus & Iudicii Raceburgensis ab Augusto, Saxoniae Duce, ei fuit delatum, cui Principi cum valde placeret, & missus ad Hadelenses, Ioanni Friderico, Archiepiscopo Bremensi, se submissuros, fidei monitor ablegatus, motus in Hadelia ortos magna prudentia sedaret, altero statim anno splendido Vice-Cancellarii muneri

cum

eum admouit. Colerus ſuam virtutem, ſuam prudentiam, ſuam integritatem Principi adeo probauerat, vt *nihil*, referente Bangerto p. R. 4, *domi, nihil foris absque conſilio Coleri & ope ſit ſuſceptum. Quicquid deliberatu arduum, expeditu intricatum, in illum reiectum. Si quid praua introductum conſuetudine emendandum, ſi inſtitutum ſalutare introducendum, ſi quid dirigentis auctoritate muniendum eſſet, Coleriana dexteritas ſola aut praecipua ſufficere iudicata ſit.* Vnde etiam fauore Ducis ſemper fruitus, qui cum an. 1624 rem aliquam feliciter confeciſſet, aurea catena cum appenſa ſui imagine remunerandum eum duxit. Imo, cum Colerus an. 1628 Collegii Canonici Lubecenſis (cuius res per multos annos optime adminiſtrauit) Syndicus eſſet renunciatus, an. 1629 Illius clementia ſummus in aula miniſter euaſit. Tandem cum Henricus, frater, Conſul incomparabilis, decesſiſſet, communibus ſuffragiis, plaudente tota ciuitate, in Senatum cooptatus, primumque ex antiquo Reipublicae huius inſtituto Senator dictus, mox autem eadem hora & eodem actu Conſul. d. 19 Febr. an. 1642 eſt renunciatus. Hoc ſplendidisſimum grauisſimumque munus per ſex & decem annos adminiſtrauit, ita, vt diſertisſimo quoque Bangerto videantur defuiſſe verba, quibus virtutes, quas oſtendit, vt per omnem vitam, ita quoque per hoc tempus ſatis deſcriberet. Pietatis & amoris, quo erga doctrinam ſacram flagrauit, ſupra iam dedimus quaedam indicia. Reſtant alia, quae ſilere nefas eſſe duco. Te-

ſtantur enim pietatem Homiliae in contextus Euangelicos & Epiſtolicos in gratiam filiorum, quos eas legere iuſſit, conſcriptae: ratio & modus ad ſalutarem ſeſe vſum SS. Coenae per veram poenitentiam praeparandi liberis ſuis praeſcriptus. Laudat hoc inſtitutum & merito laudat Bangertus p. Bb 2. Ex eodem adiiciam alia pietatis teſtimonia. *Certe*, ſcribit p. E e ſq. *in ſacris concionibus audiendis nihil illo erat frequentius. Parum illi fuit, eas audire, niſi & calamo exciperet, domi deſcriberet & vita ipſa exprimeret. Siue ille Brunsuici, ſiue Raceburgi, ſiue Lubecae eſſet, quascunque triginta vltimis vitae annis conciones audiuit, eas domum reuerſus aut integras deſcripſit, aut etiam, ſi per occupationes, quae & locorum & rerum varietate illum diſtinebant, non liceret, argumentum ſaltem illarum breuiter collectum conſignauit. Catecheticas porro conciones, quae antiquo & laudabili prorſus inſtituto Lubecae, maxima populi frequentia, bis anno quouis habentur, incredibili diligentia collegit & manu ſua exaratas iuxta tot annorum ſeriem ordinauit. Spiſſa volumina ſacrorum ſermonum, qui vel diebus dominicis, vel feſtis in textus Euangeliorum a verbi diuini doctoribus habiti ad populum ſunt, ipſius manu conſcripta, ſuperſunt. - - - Non contentus, conciones e ſuggeſtu a myſtis dictas conſcripſiſſe, ſuas quasdam in contextus Biblicos meditatus, ſcripto comprehendebat; in quibus diſponendis annis ferme ſingulis peculiari methodo vſum eſſe videre licet, vt etiam anno, quem Deus illi vltimum inter mortales eſſe voluit, conciones omnes ea conceperit & digeſſerit methodo, vt ſingulas ad beatum ex hac vita exceſſum medi-*

tan-

tandum diſponeret, omnibusque earum partibus ardens illud & nonniſi a coelo immiſſum votum praeſcriberet: Ieſu in reſiduo vitae & in agone mortis iuua me! - - - Conſtituerat tota Biblia ita nota ſibi reddere & perſpecta, vt quod argumentum libri cuiusuis ſacri eſſet, quae primaria in vnoquoque dicta, quae rerum geſtarum narratio, quid ad confirmanda fidei Chriſtianae capita, quid ad vitam & mores formandos ex libris ſingulis depromi poſſet, accurate cognoſceret, & quoties res poſtularet, inde capere, atque ad vſus ſuos adhibere cum fructu ſciret. - - Ad eam rem duos ille Locorum Communium codices ſibi fecit. - - Enixe dabat operam, vt coloni ſui in Bleyſtorff, qui pagus ipſi haereditarius eſt, craſſa mentis ignorantia exuta, religionis Lutheranae partes perciperent. - - - Poſt confesſionem ſingula, quae Eccleſiae miniſter peccata confitenti ſuggesſiſſet, quae de vero poenitendi modo monuiſſet, notare in Enchiridio ſuo conſueuit. - - Vbi die altero SS. Coena vſus eſſet, relictis rebus omnibus animum totum ad gratiarum actionem conuertebat, & Latino ſermone, nonnunquam Graeco, ſcribebat, hoc die ſe corporis & ſanguinis Redemptoris ſui ſumme meriti & fratris dulcisſimi IESV CHRISTI factum eſſe participem. Haec de pietate. Reliquas virtutes, iuſtitiam, humanitatem, modeſtiam & plures eadem ratione poſſem teſtimoniis probatas dare, ſi exſcribere animus eſſet integram Bangerti Commentationem, quam duobus fere alphabetis, vt loqui ſolemus, conſtantem, poſteaquam non ſine voluptate perlegi, deprehendi, eſſe compendium hiſtoriae ciuilis inferioris Saxoniae illorum temporum, & complexum

multarum rerum non vbique obuiarum. In ea Consul noster etiam Maecenas celebratur. *Non pauci*, inquit Bangertus p. Nn 4, *hodie dignitatem Ecclesiasticam & Politicam ornant, nonnulli etiam in illustri Academia ius docent, qui subsidiis Coleri Consulis se adiutos ad metam studiorum suorum pervenisse grata mente agnoscunt & voce atque litteris celebrant.* Vti vero in iuuentute litterarum fuit cupidissimus, ita ipsa senectus ardorem hunc non potuit exstinguere. Audiamus de studio eius senili testem αὐτόπτην (i) Bangertum. *Videres*, ait p. Oo 2 sq, *Colerum Theologos, Iurisconsultos, Politicos, Historicos diurna nocturnaque versare manu, atque illis legendis quotidie penum eruditionis suae locupletare. Commentatoribus in SS. Biblia vtriusque Testamenti vtebatur iam senex selectis, & quos prae ceteris cum cura scripsisse putaret. Horum vt egregie dicta & scripta obseruabat, sic censoria quoque virgula notabat, si quando in interpretationibus suis ab analogia fidei secessisse videret. Inter hos cum & Hugonis Grotii in codices sacros Annotationes non raro legeret, vt praeclaram viri & summam admirabatur doctrinam, illamque exquisitam prorsus omnis antiquitatis cognitionem, sic in ipsis Annotationibus quaedam inerant, quae non probabat* (k). *Quoties*

(i) Bangertus sub fin. fere Commentat. de Antonio Colero: *Haec, quae commemorauimus, non auribus accepimus, sed oculis pleraque vsurpauimus.*

(k) Recte iudicauit optimus SENEX. Nam cum Grotius esset vir philologiae, criticae, antiquitatis longe peritissimus, Theologiae etiam non plane ignarus, adeoque

ties diem ad legendum non suffecturum sibi sciebat, summo mane surgebat, vt, quod sibi constituerat, pensum absoluere eo rectius posset. - - Inter curas publicas consenescebat: inter studia moriebatur. Qui omni vita discendi ardore flagrauerat, vltimis aetatis annis desiderium discendi explere non poterat. Quoties illum accessi, (accessi autem crebro) vix e libris, quos circumposuerat, eminebat. Tum nihil magis volupe Viro erat, quam disserere de iis rebus, quas proxime legisset. Memini, quoties ille me sacros codices, eorumque Hebraeos fontes inspicere in locis dubiis iuberet, vt an, & quam longe interpretes ab illis abiissent, intelligeret. Sciebat, dulcius ex ipsis fontibus bibi: riuos saepe turbidos fluere. - - Saepe non leuia nostri temporis Historicorum notabat errata, qui aut studio partium verum suppresserant, aut res scribere aggressi erant, quas ne per transennam quidem aspexerant, aut pro rei gestae historia ex vulgi sermone, aut forte ex amicorum litterulis narrationem aliquam contexuerant. Eorum vix decimum quemque res istorum Comitiorum & Conuentuum, quibus plerisque ipse interfuerat, & quicquid consultatum aut actum

deoque omnibus, quae ad bonum interpretem requiruntur, subsidiis instructus, poterat sacrum codicem commode interpretari. Fecit etiam in multis locis, quibus ex antiquitate & historia profana lux erat accendenda. Sed vehementer dolendum, quod loca de CHRISTO in V. T. agentia turpissime in gratiam Iudaeorum Socinianorumque detorserit, merito ideo a summo viro Abrahamo Calouio in Bibliis Illustratis castigatus. Notatu non indigna sunt, quae de Grotii Commentariis Biblicis affert Rich. Simon P. III. Bibl. Crit. p. 125.

actum esset, accurate obseruauerat, ex fide narrasse, plerosque etiam falsum, vel etiam contrarium lectori obtrusisse. Poterat ille multa diiudicare multis legationibus, quas administrauit, adiutus. *Triginta,* inquit Bangertus p. S 1, de legationibus Coleri nostri, *in vniuersum illarum, nonnullas tempore diuturnas, plerasque tractatione & laboribus graues, omnes per DEI gratiam exitu fructuosas obiuit. Quae quantum ipsi dignitatis, tantum ille eis addidit vtilitatis. - - Semel ad Comitia, quater ad Ordinum Saxoniae inferioris Conuentus: duodecies ad Principes & ad summos exercituum Duces ab Augusto Principe: octies a reuerendo Canonicorum Lubecensium Collegio, cuius Syndicum agebat: bis a Friderico Vlrico Duce: ter iam Consul, bis ad potentissimos Daniae Reges, semel ad Serenissimum Holsatiae Ducem ab amplissimo Senatu missus, Legati munere functus est, nunquam non animo promto & ad salutem suorum, a quibus mitteretur, procurandam paratissimo: plerumque cum felici rerum successu: nonnunquam non sine insigni molestia: aliquando cum vitae periculo: semper rebus, quarum gratia venerat, summa fide & cura expeditis.* Meritis igitur summis inclarescebat Colerus, quibus etiam acceptum referendum est honorificum valde praemium, quo Imperator eum ornauit. *Hac perpetua,* ait Bangertus p. P p 3 sq, *vitae ratione, hac laborum constantia, his rebus in Principum dicasteriis, in legationibus ad Imperatorem, Reges & magnos Principes, in regenda patria & alibi recte & feliciter gestis promeruit Colerus, vt ipse Imperator FERDINANDVS III tantam virtutem etiam praemio Caesareo dignam*

nam iudicaret. Quare vltro & motu proprio (verba sunt Imperatoris in tabulis in confirmationem rei concessis) Illum & omnes eius liberos & posteros legitime ab illo descendentes, in numerum Nobilium Sacri Romani Imperii suscepit & adscripsit, potestatemque omnibus priuilegiis & dignitatibus quibus alii gaudent Nobiles, vtendi & fruendi impertiuit, omniaque Diplomate Caesareo confirmauit, quod Ratisbonae Kal. Octobr. an. cIↄIↄCLIII datum & Imperatoris manu subscriptum. Summi huius viri memoriam conseruat quoque epitaphii, quod est in nostro templo Mariano, inscriptio:

Dn. ANTONIO COLERO, ICto & Hereditario in Bleistorf, Capituli Halberstadensis & Lubecensis, ac Ducum Brunswic. & infer. Saxoniae Syndico, Consiliario, Vice-Cancellario, tandem Reip. Lubec. Proconsuli optime merito, seni LXXIII annorum, anno MDCLVIII. VII Sept. defuncto, relicta vidua Dn. MAGDALENA BRÖMSEN & Heredes m. h. p. an. M DC LXIV.

HIERONYMVS a DORNE.

Vir illustris & cum paucis comparandus vitam Lubecae auspicatus est an. 1646 d. 24 Iul. Patrem veneratus est HERMANNVM a DORNE, Reipublicae nostrae Consulem primarium, meritis celeberrimum: matrem vero MARGARETAM de WETKE, matronam generosam, in quibus parentibus visa est excellentissima virtus

tus Maiorum, quos B. Suantenius in Progr. Funebr. Lubec. 1704 f. diligenter recensuit. Virum ad magna natum egregie iuuit nostrum Gymnasium publicum, in quo *Sebast. Meierus* & *Henr. Bangertus* Graecarum, Latinarum & omnium elegantiorum litterarum scientia optime eum praepararunt. Testantur de eius profectibus, quos in elegantiori litteratura iam in iuuentute habuit, comtum hoc carmen, quo egregio iuueni *Adamo Laurentio Nicolai* eruditum de Passione & Morte Seruatoris poëma Graecum an. 1663 edenti gratulatus est:

Palladii spes magna chori, spes magna Parentis,
Pars & amicitiae maxima pene meae,
Dum facis inferias Christo, dum busta Tonantis
Atque canis Domini fata suprema tui,
Intendensque pios lacerata in membra lacertos
Deficis & dulci vulnere vulnus habes;
Dum tanto cum Rege doles, gemis & singultis,
Et queritur victum pagina docta Deum;
Non Te Castalidum, non Phocidos vnda poëtam
Sed mage τοῦ κέδρων flebilis vnda facit.
Non dedit hos Helicon aestus rupesve gemella,
Golgatha sed Christi nobilis ipsa rogo.
Spinea te viridi circumdat adorea fronde,
Foenerat & titulos crux inhonora tuos:

Cedi-

Cedite Graiorum frondes, vos cedite lauri
Atque ederas remoue, Martia Roma, tuas:
Hinc veniat laurus. Poterit sic esse salutis
Principium, & laudis crux quoque meta tuae.
Denique docta cohors lacrumas mirabitur illas,
Quas tuus in Christi funere fudit amor.
Sic laudas pariat crucis atque infamia famam,
Hoc sibi, qua pergat, gloria sternat iter!

Ad altiora deinceps studia progressurus, an. 1664, aetatis anno decimo & octauo, Giessensem Academiam elegit, in qua iurisprudentiam, doctrinam ciuilem, historiam & omnes, quas sibi posse inseruire scientias cognouerat, feliciter addisceret. Neque spes haec ipsum fefellit, cum, praeter alios egregios viros, magnum illud non solum Giessenae Academiae, sed totius orbis eruditi lumen, *Taborem*, magistrum nancisceretur. Maiora deinceps incrementa cepit eius eruditio & virtus per itinera, quibus Belgium, Angliam, Galliam, Pannoniam, Italiam, Germaniam ita perlustrauit, vt cresceret quotidie doctrina, cresceret etiam rerum vsu & prudentia. Fructus praestitae diligentiae perinsignes accepit an. 1676, die 12 Iun., quo Senator fuit electus. Hac dignitate auctus patriae commodis praeclarissime prospexit, multaque ardua negotia expediuit. *Spectata*, inquit Suantenius, *inter bonos Viri generosi mode-*

dera-

deratio & singularis in muneribus tam minoribus, vt vocant, quam maioribus dexterior efficacitas, exceptis Camerae praefectorum vrbicae functionibus, omnium sibi bonorum conciliauit fauorem, sic, vt in arduarum saepe rerum explicatione sibi cum finitimis ac ipso S. R. Imperio traditarum, solertissimum non minus quam fortunatissimum se plerumque exhiberet. Etenim an. 1680 cum Magnifico & Consultissimo viro Dn. ANTON. WINCLERO, *ICto & Consule nunc primario celebratissimo, publicus orator ablegatus est ad Cameram tunc S. R. I. Spirensem, vt iura quondam Ciuitati cum finitimis controuersa vindicaret. Effluxerat biennium, quando cum nobiliss. atque excellentiss. D. HENR. BALEMANNO, ICto ac Senatore Lubecensi olim celeberrimo, adiunctis Hamburgensium Legatis mittebatur, vt dissensiones de flumine vicino, fossaque nouiter ducta ortas, quantum fieri posset, mitigaret. Conuentui quoque Circuli inferioris Saxoniae aliquoties interfuit, leuamentumque aeris pendendi & hactenus ingrauescentis feliciter obtinuit. An. 1683 vt rebus varietate ancipiti conclusis tutior quaedam securitas adesset, vna cum Magnifico D. WINCLERO & excellentiss. D. POMERESCHIO, Syndico quondam Lubecensi celeberrimo, Mollenam petiit ciuitatem, vt indictis ibi ab inuictissimo Caesare*

conuen-

conuentibus (quibus tam potentissimi Regis Suecici, quam Serenissimorum Electoris Brandenburgici & Ducum Brunsuico-Lunebergensium Legati intererant) suam accommodaret praesentiam. Sequentibus annis 1687 & 1688 dato sibi negotio & componendarum inter Sereniss. Ducem Lauenburgicum & Ciuitatem versantium adhuc litium, &, vt particeps esset Caesareae commissionis, in vrbe Lubecensi adornatae, publico nomine praefuit. Luctuosam sub id tempus defectionem patiebatur familia domusque DORNIANA tristissimo generosarum Matris atque Coniugis dilectissimarum obitu. Neque vero hac ferali seu solicitudine seu solitudine auocari se patiebatur, quin maiori destinatus operae vir generosus, tollendis nempe dissidiis, quae Reip. intercedebant cum R. Capitulo: quo, auxiliante excellentissimo Regis Sueciae potentissimi Legato, suamque communicante prudentissimam operam Senatore nobilissimo Dn. CARSTENIO, incolumitati ac decori communis rei consuleret. Anno 1693 die Petri cathedrae sacro summam in republica nostra Consulis dignitatem adeptus est, eademque ad d. 12 Octobr. an. 1704, quo non sine multorum dolore obiit, maximam suam eruditionem & prudentiam boni publici promouendi causa adhibendo, dignissimum se ostendit. Merita eius loquitur patria: loquitur studium conseruandi famam nobilis quondam & patritiae apud Lubecenses

gentis STITIANAE, cuius haeredes masculi extincti. Vid. omnino Nou. Lit. Mar. Balth. 1699. p. 214 sq. Vti vero de aliis bene meritus est, ita non voluit male mereri de filio suo HERMANNO HENRICO a DORNE, *in quem gnatum vnicum congessit prouidi Parentis cura, quicquid ipsi excolendo credidit proficuum*, testibus citatis Nou. Lit. auctoribus 1700. p. 327. Hi valde laudant solidam eius cognitionem iuris, honores supremos promeritam demonstratamque an. 1700 in Academia Rostochiensi eximia *Dissertatione Iuridica de Inobedientia impuni* (19 pl. in 4.) in libri molem excrescente, quam non solum proprio Marte elaborauit, sed etiam ea solemnitate, quae cum inauguralibus Disputationibus solet esse coniuncta, defendit. Filius paternorum meritorum non immemor, optimo parenti splendidum epitaphium marmoreum, a summo artifice Thoma Quellino, Antuerpiensi factum, in templo nostro Mariano poni idque hac inscriptione ornari curauit:

Vir illustris & generosus, Dn HIERONYMVS a DORNE. Dominus in Gallin & Weslohe, HERMANNI Procos. F. HERMANNI Senat. Nep. HERMANNI Procos. Pronep. HERMANNI Senat. & Camer. Abnep. Reip. patr. ab an. MDCLXXX Senator, & ab an. MDC XCV Proconsul, vere Magnificus.

Patri desideratissimo, quem Religionis amor, ardor iustitiae ac grata comitas

mitas ciuibus amabilem, complures feliciter expeditae Legationes, eminens prudentia, consummata iuris scientia, ac indefessum optimarum litterarum studium, exteris quoque celebrem, amor denique patriae & illustria in Remp. merita serae posteritati venerandum ac imitandum reddiderunt, nato A. MDCXLVI. d. XXIV Iul. pie denato A. MDCCIV d. XII Octob. HERMANNVS HENRICVS a DORNE, filius,

h. m. p. c.

Moneta quoque in honorem eius cusa, in cuius vna parte ipsius facies cum his verbis: HIER. A DORNE CONS. LVBEC. in altera vero hae ipsius laudes: CLARISS. GENERE A. MDCXLVI. IX KAL. AVG. EDITVS. PARENTI. AVO. PROAVO. ABAVOQVE. IN. MAGISTRATV. SVCCESSIT. SENAT. MDCXXC. COS. A. MDCXCV. PIVS. PRVDENS. IVSTVS. EMINENTIS. INGENII. FACVNDIAE. INDVSTRIAE. OBIIT. IV. ID. OCTOBR. A. M DCCIV.

Cum his allatis conferantur, quae de Consule nostro habent adducta Nou. Lit. Mar. Balth. 1704. p. 347 sqq.

CHRISTOPHORVS GERDESIVS.

Patre MARTINO GERDESIO, I. V. D. & Consule Gustrouiensi, ac matre CATHARINA

KOCHS Gustrouii an. 1591. d. 18 Ian. vir hic illustris insignibus meritis est prognatus. Parens, summae, quam vera eruditio secum fert, vtilitatis non ignarus, filium iubebat sequi *Franciscum Omichium*, Rectorem Gustrouiensem, Graecas & Latinas litteras magna fide suos docentem. Cum autem ad altiora filius esset perducendus, Lubecensem nostram Musarum sedem parens ipsum adire iussit. *Ad eum*, inquit B. Seb. Meierus in Orat. de nostro Consule Lubec. 1661. 4. p. 17 sqq *pucrilibus statim annis progressionis gradum euectus est, vt magno cum fructu ad altiora capessenda admitti aliasque in scholas transferri posset. Quod cum consultissimus Dominus parens eius animaduertit, Senatum de filio ablegando, in corde consiliarium, vt cum Comico loquar, conuocare coepit. Et cum ob vicinitatem loci, Praeceptorum industriam inque iuuentute erudienda dexteritatem Lubecensis schola prae aliis ipsi commendaretur, Lubecam eum amandauit. Faustis igitur auspiciis vrbem hanc ingressus, nomen suum apud* Ottonem Gualtperium, *SS. Theologiae Doctorem & Scholae huius moderatorem, professus est. Simulac vero ab eo receptus & in societatem conuictus Clarissimi Domini* M. Ioachimi Dreieri, *Scholae huius Conrectoris, admissus est, non primoribus tantum labris degustare, aut extremis digitis attingere politiorem humanitatem, sed ita in ea versari coepit, vt huic studio penitus esse deditus videretur, totosque tres annos, & quod excurrit, hoc in Lyceo commoratus est. Diuersus profecto fuit a moribus huius corrupti saeculi, vbi indigenae non minus quam alienigenae & peregrini*

vix

vix tantisper in scholis subsistunt, donec suis auspiciis rem gerere possint: sed litteris ne leuiter tincti, omnisque eruditionis expertes & ignari, e clathris scholarum erumpentes sua in Academias cruda studia propellunt. - - - Ad id vsque tempus Consul Gerdesius a lateribus Praeceptorum haerebat, neque a triuiali Gymnasio in aliquam se prius Academiam conferre parabat, quam Graece Latineque doctus (vtraque enim lingua dici non potest, quantopere delectaretur) & animi sui sensa commode proferre & elegantem, vtroque in idiomate, orationem commentari, aut tersum deducere carmen posset. Ornamentis itaque doctrinae & virtutis ab omni parte feliciter instructus, neque ab iis opibus, quae ad praeclari operis, in superioribus disciplinis, exaedificationem requiruntur imparatus loco se mouere, seque coelo committere Academico destinauit.

Curriculo igitur scholastico summa cum laude absoluto, Rostochiensem accessit Academiam, in qua non solum iuri, sed etiam philosophiae, humanitati, imo ipsi sacrae disciplinae tempus suum consecrauit. In primis tamen ad iuris studium animum adiecit, doctoribus *Lindemanno, Cothmanno, Heinio* & aliis vsus. Rostochio profectus est Lipsiam, Lipsia Wittenbergam, Wittenberga Ienam, Iena Heidelbergam, Heidelberga Argentoratum, & vbique obseruare ac discere laborauit ea, quibus scopum, quem sibi praefixum habebat, feliciter posset attingere. Ienam tandem reuersus est, ibidemque non solum *Theses* a se conscriptas ventilandas proposuit, sed elaborauit etiam *Centuriam selectissimarum controuersiarum ex singulis capitibus iu-*

ris ciuilis, *nec non ex quibusdam Iuris Canonici*, *Feudalis & Recessuum Imperii depromtam*, qua sub praesidio *Io. Sueuii* contra dissentientes optime asserta & eruditione eximia in examinibus ostensa an. 1614 IV Kal. Febr. summos in iure honores, tanquam rei bene gestae praemium, per *Ortholphum Fomannum* impetrauit. Doctor itaque renunciatus in patriam rediit, quam mox cum Lubeca nostra, pristinae Musarum suarum nutricis non immemor, permutauit. Apud nos causas primum in foro egit non sine multo candore, ita ut labor ipsius in clientum periculis caste semper integreque versaretur. Cathedrale deinceps Capitulum Syndicum suum esse eum voluit, IOANNES autem FRIDERICVS, Archiepiscopus Bremensis, Consiliarium eum creauit & perpetuum Euthynensis Episcopatus Directorem. Innotuerat quoque virtus Gerdesiana AVGVSTO, Duci Saxoniae inferioris, qui itidem Consiliarii munus ei detulit, quod magna fide nec minori industria administrauit. Lubeca propter amissum hunc virum non leuem fecisse videbatur iacturam. Quare eum denuo sibi vindicauit & an. 1625 d. 1 Dec. iis addidit, qui Senatoria dignitate sunt conspicui. Hanc dignitatem mox magnificus honor Consularis est secutus, quippe, biennio tantum interiecto, communibus PP. CC. suffragiis Consul est electus. Illustris fuit pietate: *in legendis enim sacris litteris*, inquit Meierus p. 47 sq, *in scriptis Theologorum euoluendis, quantum temporis de officii partibus demere potuit*,

tuit, collocauit, & diem ſibi periiſſe exiſtimauit, in quo non aliquid ſpatii ad ſacra recolenda excolendaque ſtudia ſumſiſſet. Quid? quod ſenecta aetate vt ſacra Biblia eo in idiomate, quo primum conſcripta ſunt, legere, omnia rectius intelligere, atque vim & emphaſin verborum accuratius ſecum perpendere & meditari poſſet, Hebraeae linguae ſtudio temporis quid impertiri non erubuit. Alia pietatis non fucatae indicia l. c. p. 48 ſqq legi poſſunt. Vnicum addo, amorem erga ſcholam: nam qui ſcholas amat, amat non ſolum litterarum, ſed etiam pietatis officinas. Hunc autem fuiſſe in Conſule noſtro, haud obſcure ex his Meieri verbis p. 50 colligitur: *Supparo ſilentii velabo, quantae ipſi publicae ſcholae ſalus curae fuerit, quam non tralatitia parte fauoris & humano alloquio Praeceptores dignatus ſit, ſed fauore ſuo vela votorum eorum tanquam ferente vento impleuerit!* Quare etiam non eſt fere dubium, quin iisdem erudiendos conceſſerit filios ſuos, quorum cum laude meminit Meierus p. 37, commemorans GEORGIVM GERDESIVM, I. V. D. & illuſtrisſimi Ducis Saxoniae Auguſti Conſiliarium, flebili valde & luctuoſa morte Patri mature ereptum: necnon CHRISTOPHORVM GERDESIVM, iuris vtriusque Candidatum & Reuerendi Capituli huius Canonicum. Illuſtris porro fuit prudentia, cuius ſemper magis magisque augendae ergo Hiſtoriam diligentisſime tractauit, quia haec etiam prudentiae eſt magiſtra. Illuſtris fuit modeſtia, iuſtitia, amore ciuium, generoſo inuidiae contemtu, concordiae ſtudio & plu-

ribus virtutibus, quas Meierus prolixe in eo collaudauit. Idem nonnulla etiam attulit de Consulis nostri rebus commodi ciuitatis huius promouendi causa gestis, cum Lubecae essent Legati Imperatoris, Regis Daniae, alii, atque mare propter bellum inter Septentrionis Reges coortum non esset liberum. His aliisque negotiis cum Reipublicae nostrae insigni fuisset emolumento, meritis ac aetate grauis an. 1661 e viuis excessit. Superest in templo nostro Mariano ipsius epitaphium, in quo haec verba leguntur:

Vir Magnificus, Dn. CHRISTOPHORVS GERDES, I. V. D. primum diuersorum vicinorum Principum Consiliarius, deinde huius Reip. per biennium Senator, & per 34 annos Consul, anno 1661. 19 Iunii pie in Christo obdormiuit, & in vicino sacello requiescit, gloriosam resurrectionem & aeternae vitae perfectum gaudium exspectans, aetatis suae 71.

Tanti Consulis memoriam anno sequenti 1662 publice recolere studuit *Dauid Brüggius*. Vid. Seb. Meieri, Rectoris, *Programma, quo ad audiendum Carmen heroicum, quod de vita rebusque gestis Magnifici, Praenobilis & strenui p. m. Dn. CHRISTOPHORI GERDESII, I. V. D. celeberrimi, & Cons. Reipubl. Lubecensis primarii conscripsit praestantissimus & eruditissimus iuuenis Dauid van der Brügge, Lubecensis, SS. Theol. & Humanitatis studiosis-*

diosissimus, omnium ordinum litteratos officiose & peramanter inuitat. Lubec. 1662. 4.

HENRICVS a KIRCHRING.

Vt patriae aliquando prodesset, natus est an. 1610. d. 28. Octobr. parentibus HENRICO à KIRCHRING & AGNETA COLERIA, sorore Magnificorum COLERORVM, quos paullo ante laudauimus. Viam sibi strauit ad honores vt per alias virtutes, ita etiam per litterarum studium, quod in nostro Athenaeo feliciter auspicatus est, in Academiis ex voto continuauit. *Iactus*, inquit B. Suantenius in Memor. Kirchring., *probe solidis artium ingenuarum atque elegantium fundamentis in Ephebeo patrio (praecipue, quia adminiculo & subsidio ipsi erat praeclara institutio & conuictus perquam laudabilis celeberrimi tunc Rectoris Dn. Kirchmanni) Rostochium causa continuandorum vlterius studiorum concessit. Per aliquod tempus ibidem commoratus ad Regium Prussiae montem contendit, quo iterum relicto Gröningam adiit, inceptam studii iuris telam solertissime pertexturus.* Accedebat peregrinandi studium, cuius ope multa egregia vidit, obseruauit & in vsum suum prudenter conuertit. Ornatus igitur sapientia, ornabatur etiam deinceps honoribus, in societatem prudentissimorum Reipublicae Lubecensis Senatorum an. 1654 adscriptus. Quam insignem spartam nactus, lubentissime omnia exequebatur, quae patriae vtilia esse credebat. Ablegari se patiebatur an. 1657 ad Conventum Circuli inferioris Saxoniae, Lunebur-

gi tunc habendum; & post duos annos ad Sueciae Daniaeque Reges, nec non Electorem Brandenburgicum, honorifico oratoris publici munere dextre ac prudenter defunctus. Dignus igitur merito a Patribus Conscriptis iudicabatur, qui ad magnificam Consularem dignitatem eueheretur. Huius an. 1671 particeps factus nihil prius nihilque antiquius habuit salute patria, quae hunc suum Patrem an. 1693 amisit quidem, memoriam tamen eius nondum deposuit. Hanc etiam non sinit interire ipsius effigies in templo Mariano isthaec spectatorem docens:

Magnifico, generoso ac strenuo Domino, Dn. HENRICO KIRCHRINGIO, Reip. Lub. Consuli grauissimo, Haereditario in Brandenbaum, nato 1610. 28 Octob. in Sen. el. 1654. 19 Decemb. in Cons. 1671. 14 April anno vero 1693 23 Maii pie placideque in Domino mortuo, posuerunt ex fratre nepotes.

GOTHARDVS a KIRCHRING.

Et hic fuit decus nostrae ciuitatis ac familiae Kirchringianae siue Kerckringianae, quae nobilitate pariter atque antiquitate inclyta est. Origo eius quaerenda in Westphalia, ex qua venit Lubecam, cuius Senator BARTHOLDVS KIRCHRING iam an. 1366 est electus. De aliis huius familiae ornamentis leg. *Verzeichniss von denen Adelichen Familien der Zirckel-*

Gesell-

Gesellschafft (cuius Societatis Circuliferorum statutis & legibus condendis, vna cum aliis, operam an. 1429 nauauit THOMAS KERCKRING, filius BARTHOLDI) *in Lûbeck* p. 48 sqq. Add. Nou. Lit. Mar. Balth. 1703. p. 120. Renouauit gloriam maiorum, praeter HENRICVM modo laudatum, GOTHARDVS a KIRCHRING. quem an. 1639 Lubeca accepit in spem patriae natum. Huic vt eo melius inseruire posset, Athenaeo nostro formandus atque expoliendus traditus est. Maioris deinceps eruditionis acquirendae causa scholas superiores, quas Academias vocant, adiit doctrinaque eius ea cepit incrementa, vt Basileae an. 1665. d. 8 Mart. doctam *de Repressaliis Dissertationem* eximie defenderet. Itineribus quoque in varias regiones magna cum prudentia susceptis meliorem se reddere laudando valde studio laborauit. Qua re factum est, vt Conscripti patriae Patres, habita virtutis atque eruditionis ratione, an. 1680 Senatoriis eum honoribus dignissimum iudicarint. Gestis praeclarissime in hac nobilissima statione pro salute patriae multis rebus viam sibi aperuit ad summam Consularem dignitatem an. 1697 excipientem eius merita, quae crescentibus honoribus etiam quotidie creuerunt, adeo vt, cum an. 1705 ex Vrbe & vita migraret, *ingens*, testantibus celeberrimis Auctt. Nov. Lit. Mar. Balth. 1705. p. 254, *sui desiderium relinqueret*. Memoria huius generosi & magnifici Consulis, meritisque ac virtutibus illustris conseruatur in tem-

plo

plo nostro Mariano, vbi in ipsius Epitaphio sequentia leguntur:

Viro illustr. dignitate magnifico, generoso sanguine, quem eminens prudentia, optimarum litterarum scientia ac singularis dicendi grauitas aliquoties Legatum Principibus dilectum, religio, iustitia, optimaque regendi facultas ciuibus amabilem, XIV maiores summa curiali dignitate excellentes sibi aemulum, posteris exemplar, reliquerunt, patriae patri suoque parenti optatissimo, Dn. GOTTHARDO a KERCKRINGK, Nato post Christum anno 1639, in Senatum vocato 1680, Consuli 1697 & denique pie defuncto 1705 posuit hoc F. O.

IOANNES MARQVARDVS.

De hoc summo viro & illustris nominis ICto *Ioannes Lüderus* (1) egit singulari scripto hunc titu-

(1) *Ioannes Lüderus* fuit Medicinae Doctor & Practicus Lubecensis. Natus est an. 1629. d. 16 Iun. denatus 1673. d. 24 Mart. Praeside *M. Hermanno Bilefeld* Witteb. 1654. 4 *de Foedere inter diuersae religionis homines* disputauit. Praeconem post fata nactus Dauidem a Brügge, Germanicae poeseos (quam videtur non ea felicitate exercuisse, qua Latinam) in laudem eius specimen edentem, in quo inter alia ita canit:

Wann Wissenschafft und Tugend,
Wann Mannes-Stärck und Jugend
Befreyeten vom Joch

Der

titulum prae se ferente: *Memoriae Viri Magnifici, praenobilis & strenui Dn. Iohannis Marquardi, IC. celeberrimi, Equitis aurati eminentissimi, inclutae Imperialis & liberae Reip. Lubecensis Consulis meritissimi, grauissimi, nati bono publ. patriae anno Christi* 1610. *d.* 24 *April., dignitate Equestri a Venetorum Duce ornati anno* 1635. 24 *April., laurea Doctorali condecorati an.* 1636. 22. *Septemb., in Senatum cooptati an.* 1640. 19 *Febr., Consulatum adepti an.* 1663. 24 *Febr., denati patriae publ. malo an.* 1668. *d.* 11. *Augusti, hora secunda matutina, sepulti honorificentissime in Templo Petrino, in sacello suo haereditario, an.* 1668. *d* 18 *Aug., chartaceum hoc monumentum luctu desiderioque plenus posuit Ioannes Luderus, D.* Lubec. fol. Quod scriptum cum sit in paucissimorum manibus, operae erit pretium, illud, ne pereat, hic integrum dare:

„Vix Pythia ex Phoebi tripode & lauru effari „potest quicquam certius, quam quod diuinus Plato,

---

Des Todts; dis Bild der Frommen
Wär' uns ja nicht genommen,
HERR LÜDERS lebte noch.
Er führte so sein Leben,
Daß er könnt' Antwort geben
Dem Höchsten jederzeit:
War mässig, treu, vorsichtig,
In seiner Cuhr aufrichtig;
Sein Thun war Redlichkeit.
Was Esculap getrieben,
Hippocrates geschrieben,
War ihm gar wohlbekand:
Der Preiß Gelehrter Sinnen,
Das Licht der Pierinnen
Verlischt im schwartzen Sand.

„Plato, teste Cicerone, tum denique fore bea-
„tas Resp. si aut docti & sapientes homines eas
„regere coepissent, aut qui regerent, omne suum
„studium in doctrina & sapientia collocassent,
„responsum dedit. Intellexit optime Vir pru-
„dens, REGNARE quam magnum arduum-
„que opus esset; (recte Rempubl. regere, diffi-
„cilem Consul Romanus Cicero vocat artem)
„& quam excellens Dei donum, cum viri eru-
„ditione & prudentia excellentes Reip. prae-
„sunt. Hinc, quando Deus, infit alibi, bene-
„facere Ciuitati vult, Viros praestantes mittit;
„quando vult punire ciuitatem, auocat ex ea
„Deus Viros bonos. Supremum Numen etiam
„nostrae Reip. Consulem MARQVARDVM,
„Virum bono publ. reip. natum, & a quo verae
„doctrinae & sapientiae politicae elogium ipsa
„veritas non spernat, dederat, vtinam, vtinam,
„inquam, Deus tam praematura morte istum
„a nobis non eripuisset, vtinam diutius ipsi iu-
„cundissima hac luce, & nobis praeclaris ipsius
„donis frui licuisset, neque mors plenis iam
„velis in gloriae campum inuecto nimis imma-
„ture (nam vix senectutis limina per silentium
„primum attigit) manum iniecisset. Erat sa-
„ne hoc omnibus votis optandum, si non ipsius,
„qui pie, praeclare & laudabiliter vitae suae cur-
„riculum confecit, at Coniugis suae suauissimae
„gratia, quae charissimum amisit maritum; at
„liberorum dulcissimorum, qui optimo pa-
„rente orbati sunt; at Reip. quae irreparabile
„in eius occasu passa est damnum; at Musarum,
quae

„quae Patronum incomparabilem perdidere.
„Sed votis & desideriis nostris frustra erimus.
„Cum itaque DEO pro sua imperscrutabili
„sapientia fuerit ita visum, vt VIRVM hunc,
„tam celeri & inopinata morte nobis auferret,
„voluntati ipsius est parendum, est acquiescen-
„dum. Restat, vt beatissimo, & nobis deside-
„ratissimo COS. vltimum humanitatis persol-
„vamus officium. Etsi me quidem ab hoc de-
„terrere poterat & summa Magnifici Dn. COS.
„virtus, & ingenii mei tenuitas; praesertim, cum
„sciam non defuturos in hac celebri Rep. viros
„eruditos, & stilo excellentes, qui Consulis &
„patroni sui laudes, vel prosa oratione, vel
„versibus comendabunt: Tamen ne cuique illo-
„rum cedam aut amore, quo viuum prosecutus-
„sum, aut dolore, quem ex morte ipsius cepi,
„faciam quod potero, quantumque per occu-
„pationes succisiuum tempus mihi eripientes,
„licet, & postremum hoc munus, quanta po-
„test fieri breuitate, praestabo, reliqua & vbe-
„riora dicendi occasioni commodiori reserua-
„turus.

„Spiritum primum vir magnus hic duxit Lu-
„becae, celeberrimo illo emporio, & Hansea-
„ticarum vrbium capite, anno reparatae salutis
„decimo, supra millesimum & sexcentesimum,
„quarto & vigesimo die April., vesperi circa ho-
„ram septimam; altero statim die D. Marco
„tum sacro (quod non sine singulari factum
„omine beatissimus noster opinabatur) Christo
„& Ecclesiae per βαπτισμὸν fuit insertus. Patre
geni-

„genitus eſt viro ſpectatisſimo & integerrimo
„Dn. GOTHARDO MARQVARD, ciue &
„mercatore huius Reip. primario. Natales
„ſuos debet vterque Familiae antiquae MARC-
„WARDIANAE, nomen ſuum ſortitae ex Co-
„mitatu Weſtphalorum MARCWARD. Vid.
„Henric. Meibomius in Tr. de Pagis Saxon. p.
„92. Ex hac prodiere Viri in dignitate ſumma
„conſtituti, HERMANNVS MARQVARDVS,
„FRIDERICI II. Imp. Camerarius, OTHO
„MARQVARDVS, Comitum a LIPPE Con-
„ſiliarius, IOHANNES MARQVARDVS Im-
„peratoris CAROLI VI Conſiliarius, PHILIP-
„PVS MARQVARDVS, Camerae Imp. Spiren-
„ſis Aſſeſſor, (vid. Catalogus Aſſeſſor. Camer.
„Spirenſ. A. 1618 excuſ. in 8) CHRISTIANVS
„MARQ. vltimus Coenobii Borsholmenſis in
„Holſatia Abbas: Matre ſui ſexus qua pieta-
„tem, qua virtutes muliebres Phoenice, femi-
„na praeclarisſima, Magnifici & Praenobilis
„Viri Dn. IOHANNIS a LVDINGHVSEN,
„Conſulis huius Reip. per nouennium filia; auo
„materno Dn. ANTONIO a LVDINGHVSEN,
„itidem huius Reipubl. per decennium COS;
„proauo Dn. NICOLAO a LVDINGHVSEN,
„huius Reip. Senatore. Si fortes creantur forti-
„bus & bonis, quis non laudabilis ex hac radice
„ſuccus trahi potuit? Poſtquam ad eam per-
„venit aetatem, vt literis imbui potuerit, id
„operam dederunt Parentes, vt elegans ex hoc
„ligno minime nodoſo Mercurius ſculperetur.
„Inſtitutionem itaque priuatam cum publica
con-

„coniungentes, domi per doctos paedagogos, „ANDREAM LYDITIVM, Regiomontanum, „post Professorem; & SAMVELEM RACHE-„LIVM, post apud Dithmarsos ad D. Annae „Pastorem meritissimum, νῦν ἐν ἁγίοις; foris, „in schola huius loci Cathariniana per Collegas „doctissimos, maxime Virum celeberrimum „Dn. IOHANNEM KIRCHMANNVM, Scho-„lae Patriae Rectorem meritissimum, & bea-„tissimi Dn. Consulis sobrinum, filium hunc „suum, linguis, bonis literis & artibus erudiri „curarunt. Non calcaribus, sed fraenis hic „opus erat, cum excitatissimum ingenium ex-„stimulanti non immerito Comicum istud insu-„surrari potuisset: Currentem tu quidem. Sub „hoc Critico & Philologo famigeratissimo, „(quem nunquam satis laudare poterat) praeter „capita religionis Christianae, sermonis Grae-„ci mediocrem, Latini & artium dicendi, dis-„serendique eam sibi comparauit supellectilem, „quae sufficeret ad animi sensa non semibarbare „aut σολοικοφανῶς, sed quantum quidem aetas „ista capere potest, eleganter, ornate & pru-„denter proferenda. Hinc aliquoties in exa-„minibus publice de Linguarum praestantia, & „fatalibus Rerump. periodis, aliisque selectis „magno cum applausu perorauit materiis. „Quamuis itaque dignus a Dnn. suis Praecepto-„ribus habitus, qui cum fructu ad scholas re-„gias mitti posset, noluit tamen abire prius, „quam fundamenta disciplinae practicae iecis-„set. Itaque est vsus priuatim Dn. KIRCH-

„MANNI fideli informatione & conuerſatione,
„& in Ethicis & Politicis quaeſtionibus ſeſe di-
„ligenter exercuit. Principia Inſtitutionum
„Juris etiam adhuc in patria imbibit a IOHAN-
„NE MEIERO, J. V. L. & poſt iudicii ſuperio-
„ris Lub. Procuratore. Hiſce peractis vale-
„dictoriam ſuam habuit orationem, & hinc ad
„iter Academicum ſeſe praeparauit. Prius-
„quam vlterius progrediamur, primo ſumme
„admirandum beatisſimi COS. ingens & inde-
„feſſum ſtudium, quod ipſe a teneris ſtatim vn-
„guiculis ad extremum vsque vitae halitum in
„literis collocauit. Quotidie ille in libris, in
„chartis verſabatur, & laboris adeo non ſolum
„tolerans, ſed & appetens erat, vt perire ſibi
„omne tempus arbitraretur, quod ſtudiis non
„impertiret. Quoties aut iter faceret, aut ani-
„mi cauſa deambularet, ſemper illi praeſto erat
„liber aliquis, quem volutaret, cuius lectione
„animum paſceret: quem vero librum ſemel in
„manus ſumpſerat, eum non prius deponebat,
„quam a capite ad calcem vsque recurriſſet, ea-
„que annotaſſet, quae ſibi aliquando vſui fore
„exiſtimaret. Nihil enim legebat, quod non
„excerperet, & in aduerſaria ſua ac memoriales
„libellos deportaret. O admirandam asſidui-
„tatem! O nunquam ſatis praedicandum la-
„borem! Sed vt intra oleas reuertamur, cum fun-
„damenta in literis, artibus inprimis inſtrumen-
„talibus, & linguis laudabilia, vti iam ſupra me-
„minimus, ſub manuductione Praeceptorum
„ſuorum, & inprimis Dn. KIRCHMANNI Dn.

„COS.

„COS. ὁ μακαρίτης iecisset, seculi currentis „Anno XXIX, aetatis suae XIX, completo, in „Academiam Jenensem, vt fundamentis istis su„perstrueret, fuit missus. Non ibidem Vacunae „litauit, aut bonas horas ἀλλότρια tractando „male collocauit, sed scholas frequentans Aca„demicas ad pedes Dn. Prof. Philosophiae, „STAHLII Professoris Metaphys. & Logices, „ZEISOLDI Physices, PRAETORII Ethices, „ARVMAEI Politices, SANTMANNI Geo„graphiae sedit. Oculum in primis ad metam „dirigens, praesertim cum in Philosophicis pro„gressus non contemnendos fecisset, studio iu„ris se totum addixit, & praelectionibus publi„cis & priuatis Dn. Professorum iuris, FOH„MANNORVM, ARVMAEI, THEODORI„CI, SVEVII & RIEMERI nexu indiuulso ad„haesit, in palaestra disputatoria sese respon„dendo & opponendo exercuit, & sic auctus in„signes in hoc studio per Dei gratiam depreben„dit. Dn. D. RICHTERI Facult. Juridic. iam „Ordinarii, primo quem loco nominare debe„bam, conuersatione sedulo vsus, sub cuius „praesidio Anno 1630 mense Augusto in Colle„gio Contractuum, publici iuris facto, disputa„tionem *de Mandato* habuit. Horis subcisiuis „& diebus dominicis finita concione in Theolo„gicis quaestionibus erat occupatus, viam „praeeunte incomparabili Theologo D. GER„HARDO, isto tempore contra Bellarminum „disputante. Anno 1631 Jena Lipsiam se con„tulit, informatione publica celeberrimorum

 „viro-

„virorum, FINCKELTHVSII, PREIBISII, TI-
„MAEI vſus. Hoc anno ibidem conuentus
„Principum & Statuum Euangelicorum habi-
„tus, cui Reip. Lubec. Legati Dn. D. TAN-
„KIVS Syndicus & Praepoſitus ibidem, ac Dn.
„KAMPFERBEKIVS tum Senator, poſtea COS.
„interfuere, in horum notitiam ſeſe penitus
„beatisſimus noſter inſinuauit, adeo, vt facile
„eum in familiaritatem & amicitiam ſuam ad-
„mitterent. Motibus bellicis Lipſienſem agrum
„turbantibus vicinam Leucoream accesſit; vi-
„rorum celeberrimorum notitia ibidem acquiſi-
„ta, belli rabie adhuc ingraueſcente, patrios la-
„res reuiſit. Licet iam lubens in Germaniae
„Academiis ſtudia ſua continuaſſet, tamen furor
„Martis Apollini ſua halcyonia concedere no-
„luit, quare beatisſimus Dn. COS. anno 1632
„menſe Aprili per Belgium & Angliam in Gal-
„liam iter inſtituit, viſis illic maxime neceſſa-
„riis, in Italiam perrexit, & luſtratis Venetiis,
„Roma, locisque celebrioribus aliis, & lingua-
„rum cognitione perfecta comparata, Orbis mi-
„raculum Venetias, & hinc illuſtre Athenaeum
„Patauinum repetiit. Non hic, vt aranea, quod
„plures faciunt, ſed vt apis, apraeſertim in aulis
„Regum & Magnatum, verſatus beatisſimus
„noſter

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

„Dum autem Paduae non nihil temporis dare
„cogitat, inclyta Germanorum natio legatio-
„nem ad Venetiarum Ducem, Ericum, decer-
„nit, cuius ſumma fuit, vt Venetorum Reſp.
„Stu-

„Studioſorum Germanorum Paduae iuri operam dantium priuilegia augeret, illisque, vt ſine praeſtatione iuramenti Eccleſiae in J. V. Doctores promouerentur licentiam concederet. Ad hanc deſtinati fuere Dn. HIERONYMVS a DORNE ceu Praeſes, & beatisſimus noſter COS. tanquam Orator. Hic tanta morum grauitate, & linguae dexteritate, verborumque ornatu perorauit (ſunt verba Nationis praedictae, Actis publ. Patauinis in perpetuam rei memoriam inſerta) vt & Ducis & XLVIII Senatorum purpuratorum & Regis Angliae Legati Roberti Samſey ora animosq; in ſe vnum quaſi conuerteret, omnes vero in admirationem raperet, adeo, vt omnia, quae peterent, impetrarent, ornato praeter ſpem & exſpectationem vtroque dignitate Equeſtri D. Marci, ann. 1635. 25 Aprilis, ipſo ſcil. D. Marci Euangeliſtae die, quo ante 25. annos beatisſimus noſter COS. ſacro baptismatis fonte erat ablutus. Condecoratus iſta dignitate per Galliam & Angliam patrios repetiit lares, non diu hic commoratus, nouos honores prioribus addidit, quippe Anno Chr. 1636, aetatis ſuae 26 JENAM, primam ſuorum ſtudiorum nutricem, ſe contulit, petiturus ibidem indefeſſi ſui laboris brabeum iampridem promeritum. Documentum ergo prius, iuris Candidato dignum, edere deſtinauit. Conſcripſit itaque diſputationem *de Iure Commerciorum ſingulari*, (quod argumentum nemo veterum aſſecutus, nec recentiorum rite cogitauit) quam cum ſummo

„ſtudioſorum confluxu & applauſu defendit
„publice. Atque hoc documento poſito, cum
„ſingularis & eximia eius eruditio, iam ante pri-
„vato examine ſatis explorata & approbata eſ-
„ſet, ſupremum honorum in hoc ſtudio api-
„cem, Doctoratus ſcilicet inſignia inter tres Can-
„didatos primo loco A. 1636, 21 Sep. conſecutus.
„Ab hac inauguratione ad aliam multo ſplen-
„didiorem, ſcil. Imperatoris Ferdinandi III, Ra-
„tisbonae celebrandam, profectus, qua peracta
„& viſa domum reuerſus. Ad res domeſticas vt
„nos conuertamus: praeſentiens ὁ μακαρίτης,
„quod funiculus duplex non facile rumpatur,
„de firmamento. & adiutorio vitae cogitare coe-
„pit, ſibique, praemiſſis praemittendis, arden-
„tibus precibus, & conſenſu paterno, elegit Vir-
„ginem proſapiae ſplendore, virtutum decore
„fulgidisſimam, & tum temporis primiceriam
„ANNAM ROSINAM, viri eminentisſimi &
„nobilisſimi Dn. OTHONIS TANCKII, J. V. D.
„Syndici Reipubl. & Capitul. Lubec. Praepoſiti
„bene meriti, filiam, quam per ſolemnitates ec-
„cleſiaſticas Anno 37, 25 Septembr. in praeſen-
„tia diuerſorum viciniorum Principum Legato-
„rum ſibi iunctam vitae ſociam accepit. Con-
„iugalis hic amor ſincerus & intemeratus, quo
„vel ictus, vel nictus oculorum ſibi conforma-
„re ſtuduit par hoc amabilisſimum duodecim
„pignoribus, quinque maſculis, & ſeptem foe-
„mellis, ANNA CHRISTINA, IOHANNA
„ROSINA, OTHONE CHRISTOPHORO,
„GOTHARDO JOHANNE (quod nobile par

Fra-

„Fratrum, vti iam virtutum magnifici ſui Dn.
„Parentis, quorum prior ſtudiis & itineribus ſuis
„feliciter DEI gratia peractis, anno 1667 iam
„Baſileae Licentiam Doctorandi conſecutus, &
„alter iam per triennium & quod excurrit, in
„Academiis ſedulam iuris prudentiae nauauit
„operam, ita aliquando, faxit Deus! honorum
„quoque veſtigia premat) IOHANNE FRIDE-
„RICO, ANNA ELISABETHA, DOROTHEA,
„CHRISTIANO, CATHARINA, DORO-
„THEA, MARGARETA ELISABETHA, fuit
„obſignatus. Ex his ANNA CHRISTINA vi-
„ro nobiliſſimo & conſultiſſimo Dn. IOHANNI
„FELDHVSIO, Secretario huius Reipubl. fide-
„liſſimo in matrimonium elocata, ſed non ſine
„acerbiſſimo Dnn. Parentum & Dn. ſui Mariti
„luctu extincta, vti & ANNA ELISABETHA
„vndecennalis, DOROTHEA, JOHANNES
„FRIDERICVS bimulus, CHRISTIANVS qua-
„drimulus cum Anonymo & vltimo in ipſo
„partu extincto, Dn. Parentem, turbato mor-
„talitatis ordine, in curſu ad aeternitatem ante-
„verterunt, reliqui ſuperſtites (inter quos JO-
„HANNA ROSINA ante ſemeſtre ſpatium Dn.
„ANTONIO KORDES, ciui apud nos prima-
„rio vitae conſors ceſſit) Eundem ſibi maturius
„ſubductum, acerbiſſime lugent, quibus omni-
„bus, & toti familiae Deus ex alto benedicat, &
„fructus meritorum paternorum, auitorum, &
„proauitorum in bonum publicum metere iu-
„beat! Ad honorum incrementa vt progredia-
„mur. Quamprimum anno Chr. XL. 19. De-

 cembr.

„cembr. in Senatum cooptatus, primum & tri-
„gesimum aetatis annum ingressus, nihil prius,
„nihil antiquius habuit, quam vt spartam, quam
„nactus esset, omni studio ornaret. Nihil ergo
„ipsi tam graue, tam molestum, tam difficile
„erat, quod ille non pro incolumitate publica
„libenter susciperet, & quidem tanta alacritate,
„vt ad tollendam ex animo molestiam, quam
„Reip. gubernatio afferre solet, nullo fere otio
„delectaretur: saepe etiam ipse se cibi potus-
„que vsurpatione defraudaret. Erat hic occa-
„sio recensendi, quanta dexteritate & fidelitate
„grauissimas *Legationes* summa cum laude obie-
„rit, si modo temporis angustia id pateretur.
„Vno alteroue verbo illas tamen attingemus, de-
„ductionem ampliorem in aliud tempus, si
„Deus voluerit, dilaturi. Primo statim anno
„cum D. Wincklero, Syndico huius Reip. me-
„ritissimo, Hamburgum fuit ablegatus ad foe-
„dus Hanseaticum renouandum, & alia gra-
„viora negotia tractanda. Anno 1642 missus
„fuit ὁ μακαρίτης cum D. Wincklero ad lites in-
„ter vicinos Principes Holsatiae & Saxoniae in-
„feriores, ac Ciuitatum Lubecae & Hamburgi
„Praefectos ortas componendas. Anno 1645
„Legatio Hanseatica ad conuentus Pacis Dano-
„Suecicos ei fuit demandata, qua dexteritate &
„diligentia eam expedierit, exitus ipse proba-
„vit, & concessionum Regiarum tabulae, publici
„iuris factae, id ipsum plenius docent. Lega-
„tionem hanc statim alia noua subsecuta ad Sere-
„nissimam & Potentissimam Sueciae Regi-
nam

„nam CHRISTINAM, a qua ὁ νῦν ἐν ἁγίοις non „tantum beneuole fuit exceptus, ſed etiam illa „ex animi ſententia, quae ſubmiſſe petiit, im„petrauit, & ſic cum gratia dimiſſus. Vix do„mum a diuturno & faſtidioſo illo itinere reuer„ſus, en! alia ſtatim anno 1646 Beatisſimo no„ſtro defertur Legatio ad Epiſcopum Euthinen„ſem ob exortas inter Ciuitatem & Capitulum „Lub. lites ſopiendas. Non multo poſt ad eun„dem Principem, nomine totius Ciuitatis, qui „hanc ad recens natum Principem e ſacro bapti„ſmatis fonte ſuſcipiendum inuitarat, ablegatus „eſt. Anno 1648 menſe Decembr. ad ſolennia „coronationis Regis Daniae FRIDERICI III. „ſplendidi Legati vicem cum D. COLERO, COS. „& Dn. D. MARTINO BOEKELIO, id tempo„ris huius Reip. Syndico meritisſimo, iam vero „Coronae Suecicae Miniſtro & Reſidente emi„nentisſimo, beatisſimi noſtri COS. Dn. affine „dilectisſimo, rurſus obiit. Anno 1650 bea„tisſimo noſtro vni & ſoli maximi momenti le„gatio ab Amplisſimo Senatu ad Praepotentes „Ducatus Geldriae & Comitatus Zutphaniae Or„dines committitur, in qua bis Super Arbitri par„tes, ſc. A. 50 & 64 ſumma cum fidelitate egit. „Reſtant plura adhuc Legationis munia, quo„rum ſuo fiet tempore mentio, iam properan„dum ad alia. Deueniemus ergo ad *varia, quae in* „*Senatu peregit officia & munia.* Primo ſtatim anno „Marſtalli, ſeu ſtabuli praefecturae prouincia, „& ſanctioris Conſilii Aſſeſſura, Scholae itidem „Catharinianae publicae inſpectio a Senatu Am-

 plis-

„plisſimo ipſi demandabatur. Silentio prae-
„tereo controuerſias, numerum octogenarium
„excedentes, quas interea temporis amicabili
„compoſitione diremit. Triennio elapſo, an-
„no ſcil. 1644, ſtatim beatisſimus noſter COS.
„grauisſimum Praeturae Vrbanae officium ſubi-
„re coactus, quas hic moleſtias, quas turbas &
„curas turbulentisſimis Martis temporibus per-
„ferre coactus ſit, ſat ſuperque notum. Huic
„vix vltra biennium praefuerat, Cellae Vina-
„riae & Officinae Pharmaceuticae Praefectus an-
„no 1646 eligitur. De officio & vitae ſtatu ali-
„quanto tranquilliore ſibi gratulatus, en!, Con-
„ſilii Sanctioris (Conſiſtorium vocant) Praeſi-
„dis vices ſimul pro tempore ſibi ſuſcipiendae
„fuere. Quam laudabiliter hiſce officiis per
„quadriennium defunctus fuerit, publica teſta-
„ri poſſunt monimenta. Ab his tandem an. 1652
„accesſit ad Camerae, ſeu Aerarii publici dire-
„ctionem. Cui quanta dexteritate & diligen-
„tia per XI annos praefuerit, publica queunt edo-
„cere documenta, & libri memoriales. Eodem
„anno praefectura Templi Petrini; Cathari-
„niani vero anno 1650 ei fuit oblata. Quan-
„tumuis autem iis, & quidem concatenatis ne-
„gotiis, quorum vel ſingulae totum hominem
„requirere poſſe videbantur, detentus fuerit,
„conſcribendis nihilominus *libris* vtilisſimis,
„quorum vnus *de Commerciorum Iure ſingulari* non
„ita pridem in lucem emiſſus, & iam longe late-
„que ſparſus; *opus* ipſius vero *Chronicum*: *Idea*
„*boni Senatoris*, & alii adhuc latent *ἀνέκδοτοι*, &

aetati

„aetati praesenti & posteritati emolumento esse
„voluit. Nam optimum quemque niti decet,
„vt post se quoque Reip. prosit. At ad beatissi-
„mi nostri COS. Senatoriae dignitatis munia,
„parumper vnde digressi sumus, reuertamur.
„Postquam iam omnia fere in Curia ima & subli-
„mia summo cum fructu obierat munia Amplis-
„simusque Senatus τȣ̃ νῦν ἐν ἁγίοις fidelitatem,
„dexteritatem & prudentiam in tot actionibus,
„expeditionibus, & rebus feliciter & laudabili-
„ter gestis vidisset, & Dn. Consulis Gerdesii obi-
„tu non leue Reip. inflictum fuerat vulnus, de
„remedio, quo illud sanaretur, admodum erat
„solicitus. Ad hoc ergo consolidandum vna-
„nimi Patrum conscriptorum consensu, & magno
„Ciuium applausu ac totius vrbis mirifica gratu-
„latione ipso Cathedrae Petri Festo MAR-
„QVARDVS CONSVL eligitur. Cuius sane
„muneris magnum nomen, magna species,
„magna dignitas, magna maiestas, quam non
„angusta capiunt pectora, non animi egestas,
„aut ingenii sustinet. Opus hic vigilantia &
„cura incredibili: consilio magno: fide egregia:
„insigni grauitate: circumspectione prouida:
„ne quid vel detrimenti, vel confusionis Resp.
„capiat. Haec omnia miseris, turbidis & con-
„clamatis ferme temporibus longe grauiora
„fiunt. Quanta vero fide & industria, quanta
„dexteritate, quanta circumspectione hoc con-
„sulare munus administrauerit MARQVAR-
„DVS: quanto studio Reip. huius commodum
„ac dignitatem curauerit, periculum esset, ne fa-
mae

„mae ac meritis tanti viri praeuaricarer, si de eo
„multa verba in hac temporis angustia facerem,
„cum vel integram Orationem haec res deside-
„ret. Vos, vos ego testes aduoco ipsius Dnn.
„Collegas, ecquid vnquam fidei, candoris, stu-
„dii, vigilantiae in MARQVARDO desidera-
„stis? Ingemiscere mihi videmini, & amissum
„repetere. Sed o inanes nostras cogitationes!
„o fallacem hominum spem! o lubrica vitae
„humanae curricula! Habuimus MARQVAR-
„DVM, & habuimus quidem paucis admodum
„annis, vt monstrare eum magis, quam diutius
„fruendum concedere voluerit DOMINVS, iu-
„sto certe iudicio, quod nos admirari magis,
„quam rimari decet. Verum a querelis istis ad
„MARQVARDI res tempore sui Consulatus
„per quinquennium gestas. Dedit IPSE vero,
„quantopere salus Reipubl. sibi curae esset, ma-
„ximum statim documentum, dum nocte die-
„que in id omnes suas curas dirigeret, ne istud
„infelix contentionis & dissidii ciuilis incen-
„dium, quod hactenus gliscebat, in neruum
„erumperet. Si per ipsum solum stetisset, nil
„lubentius optasset, quam quod incendium hoc
„mox in primis fauillis sopitum fuisset. Quot
„labores exantlarit, quas molestias pertulerit
„seruandae publicae quietis causa tribus Regi-
„minis, seu directionis suae annis, in vulgus
„notum; at omnia infracto, fortique ferebat
„animo, nec sinebat facile terrere se iis, qui a ter-
„go suscitari solent, tumultibus. Nam norat,
„in officiis publicis requiri fortem & virilem ani-
mum;

„mum; ac inprimis illorum, qui inferiorum „animos tractare debent ac regere. Cum iuxta „Poëtam: Vires subtrahat ipse timor. Non est „autem vir fortis, cui non crescit animus in ipsa „rerum difficultate. Eleganter Consularis ille „Metius Falconius ad Tacitum Imperatorem, „referente Vopisco: Ingens, inquit, gloria mo„rientis Principis Remp. magis amare, quam „filios: & D. Ambrosius de Theodosio Impera„tore: *Dilexi*, inquit, *virum, qui cum iam corpo„re solueretur, magis de statu Ecclesiarum, quam de „suis periculis angebatur.* Talis erat hic Noster „ὁ ἐν ὐρανοῖς, testor Deum: Coniugis & dulcissi„morum ex se natorum obliuiscebatur, de Rep. „& Ecclesia vnice erat solicitus. Quatriduo ad„huc ante mortem res in Senatu agendae magis „ipsi erant curae & cordi, quam sanitatis restitu„tio. De *Ecclesiae statu* quam fuerit semper soli„citus, ostendit ipsius in Papicolarum Missas, „Caluinianorum, Photinianorum & Indepen„dentium, vt vocant, (vulgo Quäcker) admis„sionem & dispersionem Zelus. Quae plura „quinquennio Consularis suae dignitatis notatu „digna summa cum laude peregerit, recensere „supersedeo, in aliud illa differens tempus. Si„lentio tamen hic non inuoluenda *extraordinaria „praeter Consulatum munia.* Fuit Praefectus „Templorum IACOBINI, CATHEDRALIS, „COENOBII JOHANNITICI, ad SPIRIT. S. „& D. GEORGII prope Trauaemundam. Jam „de *Virtutibus* beatissimi nostri COS. plura erant „dicenda, si temporis penuria non excluderet,

at

„at non immerito, quod Salluſtius de laudibus
„Vrbis Carthaginis inquit, me malle ſilentio eas-
„dem praeterire, quam parum dicere, ne, ſi
„parum dicam, obſcurare potius easdem, quam
„exprimere videar, mihi in mentem reuoco.
„Pietatem enim ſinceram, humanitatem, libe-
„ralitatem, animi candorem, eruditionem ad-
„mirandam, animoſitatem, fidem celebraturis,
„ſi vellent ἵππον εἰς πεδίον immittere, verendum,
„ne citius introitum, quam exitum inuenirent.
„Et, vt ſummatim dicam, vita ipſius Chriſtia-
„niſſima fuit, ſemper cum Deo inſtar Enoch am-
„bulauit, omnium rerum agendarum initium
„a praecibus cepit, & quidem mane in genua ſua
„procidens, & veſperi cubitum iturus, ſolus,
„muſeo ſuo clauſo, ſuas ad DEum fudit preces.
„Si dicendum, quod res eſt, imago Chriſtiani
„fuit amuſſitata, tritum iſtud de Jurisperitis vel
„ſuo confutans exemplo; hypocriſin omnem
„cane peius ac angue vitauit, concionibus ſa-
„cris, niſi cauſa ſontica retraheretur, nunquam
„abfuit, quater ad minimum intra anni ſpatium
„Euchariſtiae vſurpatione ſuam fidem nutriuit,
„Biblia ipſemet mane, & veſperi per famulum
„praelegenda curabat, vno verbo, πολίτευμα
„ſuum in coelis habuit. Conſtitutus in ſummo
„dignitatum faſtigio humilitatis fuit ſtudioſiſſi-
„mus, erga pauperes liberaliſſimus, erga
„omnes opis indigos ad iuuandum paratiſſimus,
„in quauis fortuna τετράγωνος, iuſtitiae tenaciſſi-
„mus, temperantiae ſeruantiſſimus, aduerſus
„ea, quibus ad iram commoueri potuiſſet, vi-
cto-

„ctoriosissimus. Verum, licet per DEI gra-
„tiam intra sex & triginta annorum spatium ne
„tentatiunculas quidem morborum senserit,
„praeterquam quod diebus ab analysi beata
„quindecim proximis horror & lassitudo quae-
„dam Eum inuadere coeperit, hoc parui faciens,
„sequenti die templi Jacobini rationibus adhuc
„interfuit, infirmior tamen domum rediens in
„lectum se coniecit; subsequenti die male rursus
„habere coepit, adeo vt lecto, qui tandem emor-
„tualis euasit, affixus fuerit. Tertio die Dn.
„Medici auxilio implorato, nihil intermisit eo-
„rum, quibus amissa sanitas restitui potuisset,
„morbus tamen incrementa sumpsit, vires decre-
„menta passae. Conclamatum esse iam initio
„morbi praesentiens, sese fortiter solatio hoc
„erexit, quod isto die, quo male habere coepe-
„rat, se sacro viatico pasci curasset. In precibus
„interea & meditationibus sacris permansit assi-
„duus, saepius ex Jobo repetens: si bona su-
„scepimus &c. Intelligebat bona valetudinis,
„quibus per 36 annos fruitus erat; ex Eodem:
„etiam si me Dominus percutiat, tamen in eum
„spem meam collocabo; & ex Augustino: Et
„cum blandiris, pater es &c. iubebat etiam, si ante
„discessum lingua non amplius suum faceret of-
„ficium, acclamarent ipsi haec ex cantico Ec-
„clesiastico verba: MEVM IESVM NON DE-
„SERO. Quoties etiam haec verba, lingua iam
„ipsi deficiente, in aurem insusurrabant adstan-
„tes, prius altera manu percutiebat pectus, in-
„nuens se gestare in pectore suum Jesum; & sta-
tim

„tim ambas complicatas in coelum attollebat, „editis per gemitus & ſuſpiria deuotionis ſuae „ſignis. Iam iam fatalem horam aduenturam „animaduertens, coniugem & liberos ad lectum „ad ſe accerſiuit, non tam vltimum vale, quam „benedictionem ſingularem ipſis alterius Jacobi „inſtar apprecatus. Hoc peracto, ad ſomnum „ſe componens, ſaepius tamen euigilans, & „preces ad Deum fundens, inter preces adſtan„tium, poſtquam annos 58. 14 ſeptimanas, & „tres dies, & ſeptem horas vixiſſet, velut in „dulcem ſolutus ſomnum, in manus SALVA„TORIS beatam animulam emiſit. Magne „VIR, vixiſti, ſi voce hac de aeternum victuro „vti licet, vt vitae poenitere nunquam poſſit. „Vixiſti, vt MARQVARDIANVM nomen „pietatis & iuſtitiae nomen ſit habendum, Hic „immortalis nominis gloria; iſthic alloquium „SALVATORIS iucundisſimum Te manet: ve„nito Marquarde, poſſideto regnum paternum, „paratum tibi a condito mundo. Longum in„terea MARQVARDIANVM nomen floreat, „vigeat, emineat! & qui Parenti defuerunt, libe„ris maiorum aemulis, & (quod optamus) ſuc„ceſſoribus, addantur anni. Nos ſempiternae „beatisſimi noſtri COS. memoriae litantes exu„viis terras molles, ſpiritui gaudia coeleſtia „precamur!

Haec de Conſule noſtro Luderus, qui aliquam operis *de Iure Commerciorum ſingulari* mentionem quoque iniecit. Addo notitiam eius pleniorem. Operis Pars prior hanc prae ſe fert in-

inscriptionem: *Tractatus Politico-Iuridicus de Iure Mercatorum & Commerciorum singulari, in quo ex iure diuino, publico & priuato, communi, ciuili, canonico, feudali & Saxonico, nec non variorum iuris interpretum Commentariis ac Consiliis, diuersis Imperii Romano-Germanici, Regnorumque Franciae, Hispaniae, Lusitaniae, Italiae, Angliae, Scotiae, Daniae, Sueciae, Poloniae, Moscouiae, Persiae, Venetiae, Belgii, Hanseaticarum & aliarum Rerumpubl., Ducatuum, Ciuitatum Constitutionibus, Ordinationibus, Statutis municipalibus, Moribus, Priuilegiis, Pactis, Contractibus, vt & Philosophorum & Historicorum classicorum axiomatibus, exemplis atque monitis Politicis, Iura Commerciorum singularia IV Libris, secundum tria Iuris obiecta summatim collecta, exposita & illustrata sunt. Accesserunt in fine Tractatus ipsa Priuilegiorum, Constitutionum, Statutorum, Pactorum &c. exemplaria, peculiari designatione, iuxta seriem Alphabeti, summis vigiliis atque impensis, in gratiam Lectoris, passim conquisita, partim vero nunquam publice visa.* Partis posterioris hic titulus est: *Documenta Commercalia, siue Tractatus de Iure Mercatorum & Commerciorum singulari Pars posterior, complectens Instrumenta litteraria Priuilegiorum per Galliam, Hispaniam, Lusitaniam, Angliam, Daniam, Sueciam, Muscouiam &c. &c. Pactorum item & Transactionum cum variis Regibus ac Rebuspublicis initarum, Statutorum denique ac Ordinationum tam totius Hansae, quam particularium Ciuitatum, Contboriorum, Collegiorum, &c. nec non plura Consilia, Rescripta, Mandata & Decreta tum ad ipsum mercaturae officium in vniuersum: tum vero ad intellectum & applicationem & gentium &*

N *ciui-*

ciuilis & mercatorii Iuris apprime ſpectantia, quorum passim in huius Tractatus parte priori ſub elementis alphabeticis mentio facta, catalogusque auerſa pagina exhibetur. Francofurt. 1662 fol. Opus hoc ſuo calculo dignum exiſtimarunt ſummi Iuriſconſulti Dauid Meuius, Benedictus Carpzouius & Chriſtophorus Philippus Richterus, quorum honorificae ad Marquardum epiſtolae ei ſunt praefixae. Iudice Cl. Struuio Bibl. Iurid. c. III. §. 31 reliquis de hoc argumento ſcriptoribus *accuratior* eſt Marquardus. B. Andr. Langius in Introd. in Notit. LL. Naut. & Scriptor. Iur. reique maritim. p. 145 ſq his verbis Marquardianum opus commendat: *Primas inter haec ſcripta* (quibus multa iuris nautici capita inſerta) *tenet Iohannis Marquardi, Iuriſconſulti & Conſulis olim Lubecenſis, nobile de Iure Mercatorum opus, in quo integra capita ad rem nauticam ſpectantia inueniuntur - - - Opus eſt ob rerum vbertate, expoſitionis facilitate & adiunctis documentis mercatoriis publicis maxime commendandum; & quod multa, ex Italorum penu petita, continet.* Ceterum in laudem Marquardi etiam legendi ſunt B. Phil. Ludou. Hannekenii *Plauſus populi Lubecenſis deſignato Conſuli Io. Marquardo dicti*, editique Lubecae Anno *DeI & ConſVLIs MarqVartI.* In templo noſtro Petrino conſpicitur hodieque

Epitaphium Viri Magnifici, Praenobilis & ſtrenui, Dn. IOHANNIS MARQVARDI, IC. Equitis aurati eminentiſſ. & Conſulis patriae grauiſſimi, qui natus anno MDCX. XXIV April.

April. dignitate Equestri a Venetorum Duce ornatus A. MDCXXX. XXIV April. in Senatum cooptatus An. MDCXL. XIX Decemb. Consulatum adeptus A. MDCLXIII. XXIV Febr. Denatus An. MDCLXVIII. XI Augusti, sepultus in sacello proximo suo haereditario A. MDCLXVIII. XVIII Augusti.

GOTHARDVS MARQVARDVS.

Consulem hunc & Mineruae & Mercurii artibus deditum ciuibus suis amplitudine ac gloria celebribus Lubeca nostra annumerat. Parentes generis nobilitate insignes GOTHARDVS MARQVARD & ANNA, IOANNIS a LVDINGHAVSEN, Consulis Lubecensis, filia eum an. 1611 d. 12 Iun. viderunt in lucem editum, & deinde filium optimae indolis agnouerunt. Etenim illustrium & stirpe & doctrina maiorum virtutem in ipsa iuuentute imitari conatus est. *Quare*, vtor verbis Suantenii in Progr. Funebr., *tyrocinia doctae exercitationis posuit, vsus disciplina peculiari virorum amplissimorum atque clarissimorum Dn. Andreae Lyditii, Professoris hodie Regiomontani praecellentis, & Dn. Samuelis Rachelii, Pastoris deinde ad D. Annae apud Dithmarsos clarissimi. Ceterum, vt plus doctrinae attingeret, & vberiori animum scientia imbueret, praeceptis gymnasticae institutionis in Ephebeo patrio frui ali-*

quantisper desiderauit, vsus praecipue fideli informatione viri praecellentis & praeclarissime de litterato orbe meriti Dn. Iohannis Kirchmanni, Rectoris Gymnasii & Scholae Lubecensis celeberrimi. Multum profecit eruditis huius viri auspiciis tum in facultate pure & emendate loquendi & incorruptam Latini sermonis integritatem declarandi: tum in arte ratiocinandi. Nec minorem continuata sedulitatis doctae opera cognitionem assecutus est artificiosae eloquentiae, morum recte conformandorum & ciuilis atque popularis, quam Politicam vocant, disciplinae. Proinde eximia hac discendi progressione talem se praebebat studiorum moderatoribus, vt sublimiori Academiarum consuetudini aptus atque accommodatus existimaretur. Vlterioris ergo scientiae cupidus, Lipsiam profectus est, bene inceptam doctrinae telam elegantiore contextu adornaturus. Redux deinde ex itineribus Liuonico, Curlandico, Gallico, Anglico & Belgico factus, in patria sedem fixit, atque an. 1674 d. 19 Decemb. in Curiam adscitus est, demandato ipsi Senatoris munere, quod ita gessit, vt fidem cum prudentia, prudentiam cum industria perpetuo coniungeret. Defunctus omnibus officiis, quae a Senatoribus huius Reipublicae peraguntur, fasces Consulares an. 1692 d. 20 Febr., non sine maximo reipublicae emolumento, accepit. Deposuit tandem an. 1694, per beatam mortem in sanctissimam ciuitatem translatus. Ornamentis suis accenset templum Petrinum eius effigiem, cui hae Magnifici viri laudes subscriptae:

Me-

Memoriae Viri Magnifici & Nobilissimi, Dn. GOTHARDI MARQVARDI, Consulis meritissimi, pie defuncti anno MDCVIC, postquam in laude vixerat annos LXXXIII posuerunt haeredes.

DANIEL MÜLLER.

Vir illustris, quem hodie magnificum Consulem veneratur Lubeca, an. 1661 d. 29 Aug. lucem aspexit. Patrem coluit M. *Iac. Müllerum*, Pastorem Kirchwerderanum in praefectura Bergedorfensi meritissimum; matrem vero *Thetam Catharinam Hannekeniam*, sexus sui ornamentum. Maiores Eius, peregregia laude insignes, sunt *Dan. Müller*, mercator ac ciuis Lubecensis & *Anna Hubens*: D. *Meno Hannekenius*, immortalis famae Theologus, quem Academia Marpurgensis Professorem, Lubeca autem Praesulem est admirata, & *Iustina Eleonora Mentzeria*: *Asmus Müller*, ciuis Lubecensis & *Catharina Müllers*: *Iacob. Hubens*, mercator Lubecensis, qui religionis verae retinendae, crudelitatis autem Ducis de Alba effugiendae causa ex Brabantiae Ducatu Lubecam venit, & *Anna Hubens*: M. *Gerhardus Hannekenius*, Pastor Blexumensis in Comitatus Oldenburgensis Butiadiensi prouincia & *Theta Hannekenia*: D. *Balthas. Mentzerus*, summus Theologus Giessensis ac Marpurgensis & *Elisabethae*, nobili *Struppiorum* familia oriunda. Ex hac splendida familia pro-

gnatus Noster, prouida Parentis cura optime fuit educatus. Schola nostra huius rei partem haud exiguam sibi vindicat, siquidem an. 1669 per Herman. Nottelmannum, Rectorem, in classe quinta locum & fidelissimum praeceptorem *Iustum Tribbechouium*, an. 1670 in quarta classe itidem locum & praeceptorem, cum laudato comparandum, *Dan. Lippium* ei concessit. Haec publica quidem institutio, defuncto auo D. Hannekenio, cum priuata permutabatur, Eidemque praeficiebatur M. Io. Balth. Schuppius, Pastor postea Oldegammensis, sed cum per triennium fere hoc magistro vsus esset, an. 1674 iterum Nottelmanni auspiciis publico discentium coetui adscribebatur, dignus iudicatus, qui supremam classem ornaret. Ornauit etiam per integros quatuor annos diligentissime auscultando publice ac priuatim primo *Nottelmannum*, deinde *Hinckelmannum*, Rectores, *Polzium* ac *Lipenium* Conrectores & *Brüggium*, Subrectorem. Ex nostro Athenaeo an. 1678, suadentibus cognatis, in Gymnasium Academicum, quod Coburgi floret, se contulit, ibidemque ducibus *Stempelio*, *Claudero* ac *Schubarto* sanctiores litteras, stili elegantiam, historiam & morum disciplinam: *Frommanno* naturae scientiam: *Eberweino* institutiones iuris feliciter pertractauit. Biennio elapso Giessae amplissimum iuris tam publici quam priuati campum ingressus ac ope praeclarissimorum ICtorum *Mollenbecii* sen., *Nitschii*, *Tilenii* & in primis *Hertii* tantum non plane emensus est. Pauca, quae resta-

restare videbantur, in Argentoratensi Academia, quam an. 1682 petiit, commissis Ipsius fidei ac gubernationi duobus Comitibus de Solms Rödelheim, facillime poterat addere, cum doctores nancisceretur *Rebhanium*, cuius hospitio exceptus fuit, *Schragium*, *Obrechtum* & *Kulpisium*, ICtos longe celeberrimos. Pari felicitate Gallicam linguam percepit. Vt vero omnes eius lepores ac veneres sibi redderet familiares, praetereaque multas notatu dignas & admirandas res nauiter lustraret, an. 1684 verno tempore Gallicum iter auspicatus est, perque Alsatiam, Heluetiam, Geneuam, Lugdunum accessit praefecturam Aurelianensem, &, munditiei linguae Gallicae studiosissimus, Aureliae pariter ac Blesis aliquandiu commoratus est. Haud pauca deinde nobilia loca transiens, ipsam Lutetiam intrauit. Quatuor omnino menses audiendo, stili Gallici elegantiam omnem assequendi causa, celeberrimum *Richeletum*, contrahendo, litterarum amore, amicitiam cum orbis eruditi luminibus *Mabillonio*, *Baluzio*, *Sam. Petito*, *Alisio* & aliis summis viris, multa notabilia, multa etiam solemnia aulica attentis oculis perspiciendo ibi consumsit. Simili ratione Angliam & Belgium perlustrauit, collectoque per septem annos, in Academiis ac itineribus, maximo eruditionis & prudentiae thesauro, an. 1685 Lubecam reuertit. Sed optima mater maximae spei filium denuo amisit anno subsequenti, quo concessit Hafniam, vbi purpurati consiliorum Regis arbitri, animaduertentes excel-

lentissimas, quae in eo semper eluxerunt, virtutes, de Eodem honestissimae spartae admovendo certasse quasi videntur. In primis autem perillustris Dominus MICHAEL WIBE, Eques auratus, Consiliarius intimus & Principis Regii gubernator, suo Illum fauore dignatus est. Modo enim auctor fuit, vt Regii Principes ad negotia sua exequenda Ipsum adhiberent: modo alia ratione commodis eius prospicere laborauit. Noster summum tanti Viri amorem conspicatus sensit se ei valde obstrictum. Quare non potuit non morem ei gerere, cum vellet, vt generoso iuueni & ad magna nato, qui hodie Ministri Regis primarii munere fungitur, alienas regiones visuro, itineris comitem & ducem se praeberet. Qua exoptata occasione an. 1688 data, Noster non solum praestantissimas Germaniae vrbes, & praesertim Viennam, spectavit, semper plura obseruans, quae ad eruditionem pariter ac ciuilem prudentiam augendam faciunt, sed Augustam quoque Taurinorum invisit. Exactis in hac metropoli sex mensibus & peragratis deinde Genua, Parma, Modena, Bononia, Florentia pluribusque regionibus & oppidis, Romam vna cum generoso iuuene suo est delatus eo tempore, quo Alexander VIII Ottobonus Pontifex eligebatur. Facile quoque, praeter alias nobilissimas Italiae vrbes, Venetia ipsos an. 1690 ad se pertraxit. Hinc, visis rebus commemorabilibus, per Pataulum, Veronam, Tridentum, Oenipontem, Augustam Vindelicorum & Norimbergam Francofurtum ve-

venerunt, indeque progressi in Belgium Vltraiecti *Cocceio* & *Graeuio* familiariter vsi sunt, ex qua conuersatione non poterat non ingens ad litterarum studia incrementum accedere. Animus quoque erat, Angliam adire & Galliam, sed mors perillustris Wibii itinerum horum circulos turbabat, iubebatque Daniam repetere. In hanc reuersum Nostrum, maxima rerum gerendarum scientia instructum, Generosissimus Dominus CONRADVS, Comes de REVENTLAV, Eques, Consiliarius intimus & Minister primus, summus etiam venationum praefectus, postea Magnus Daniae Cancellarius, sibi a Secretis esse voluit, cuius grauissima negotia tam priuata quam publica ad litterarum commercium, venationes, praefecturam Haderslebiensem & Comitis ditiones (quarum supremus ephorus fuit constitutus) spectantia ea fide, cura, diligentia expediuit, vt non solum Comitis sui, verum etiam aliorum summorum virorum beneuolentiam sibi conciliaret, spesque affulgeret maxima, fore, vt in Dania sedem fixam & illustrem locum, in quo virtutes suas explicaret, inueniret. Sed supremus rerum arbiter hac fortuna Lubecam clementissime augere volebat. Noster enim patriae natus, ipsius saluti promouendae consecrabatur an. 1695 die Petrino Secretarius legitime declaratus. Comes virum, cuius fides, prudentia, iustitia erat satis superque probata, lubentissime sibi seruasset, sed, diuini quid subesse intelligens, summa cum gratia eum dimisit elapso post vocationem an-

 no,

no, quo, consentiente Magnifico Senatu Lubecensi, Eius opera insuper vsus est. Annus igitur erat 1696, qui auspicato patriae ipsum reddebat. In ea munus Secretarii per duodecim annos summa cum laude gessit, variisque magni momenti negotiis in Vrbe, extra eam, in aulis Regum, Electorum & Principum, in legationibus, vtilissima opera praestita, interfuit. Quare etiam an. 1708 m. Febr. communibus PP. CC. suffragiis splendidam Senatoris prouinciam accepit, eandemque per nouem annos, omnia Senatoria officia religiosissime exequendo, legationes prudentissime obeundo, aliosque labores publici commodi causa exantlando decorauit. Atque haec copia praeclarissimorum meritorum via fuit, qua an. 1717 m. Febr. ad illustre Magnifici Consulis munus felicissime iuit, quod statim cum gubernatione Camerae, anno autem sequenti, die Petrino, cum supremi iudicii directione pomeridiana (*Nachmittags-Wort* Lubecae vocant) coniunxit & ita administrauit, vt non tam meum, quam commune Reipublicae votum sit, velit Deus optimus maximus diutissime conseruare hoc illustre Lubecae decus, hunc patriae Patrem exoptatissimum!

IOANNES RITTER.

Venio ad Consulem, cuius & pietas & eruditio & prudentia & humanitas & integritas a ciuibus Lubecensibus etiam post ipsius fata magno studio colitur atque non sine mentis gratissimae indicio praedicatur. Lubeca ipsa produxit hunc

in-

incomparabilem virum, quippe parentes, quibus an. 1622 d. 27 Septemb. natus est, fuerunt ANDREAS RITTER, negotiator Lubecensis florentissimus & ENGEL, femina ornatissima, ALBERTI RITTERI, mercatoris Lubecensis honestissimi, filia. Puer aeque ac iuvenis Athenaei nostri decus fuit ingeniique egregii vires ad percipiendas optimas litteras laudatissime adhibuit. *Von seinen gottseeligen Eltern*, inquit praeclarissimus Mellius noster in Vita Ritteri, *ist er von Kindes Beinen an in aller Zucht und Vermahnung zum Herrn auferzogen, und weil sich bey ihm ein fähiges, zum studiren geneigtes Ingenium hervorgethan, haben sie ihn in die öffentliche Schule gesandt, deren sämptliche Classes er durchgegangen, und sonderlich in den oberen, unter fleissiger Anführung der damahligen Praeceptorum, des fürtrefflichen Rectoris Io. Kirchmanni, wie auch seiner Collegen, M. Sebastiani Meieri und Iacobi Kockerti mercklich zugenommen.* Conueniunt cum his, quae de scholastico eius curriculo B. Suantenius in Memor. ipsius annotauit. *Pueritiam*, inquit, *atque adolescentiam per cultum ingenuarum artium transegit, imbutus sensim per Classes Ephebei patrii eo ingenii elegantis apparatu, qui eum redderet idoneum percipiendae vlterius praecellenti ac laudabili gymnasticae institutioni celeberrimorum tunc & peringnium virorum Dn. Iohannis Kirchmanni, Dn. M. Sebastiani Meieri & Dn. Iacobi Kockerti.* Optimarum itaque litterarum fundamento rite iacto an. 1641 Regiomontum se contulit, vt non solum hospitis sui, *Simonis Dacchii*, poëtae excellen-

lentisſimi, ſed & aliorum doctorum publicorum, quos maxima induſtria auſcultauit, inſtitutione eruditionem ſuam augeret. Exactis hic tribus annis, Argentoratenſis Academiae ciuis factus, *Taboris*, *Biccii*, *Rebhanii* diligentisſimus auditor, illuſtrisque *Seckendorfii* ſtudiorum & hoſpitii ſocius. Anno 1648 celebrem Iuliam inuiſit, vt auſpiciis conſultisſimorum virorum *Habnii*, *Binnii*, *Werneri*, *Mehlbaumii* iuris ſtudio, ſumma adhuc contentione tractato, finem imponeret. Subſequenti anno fecit initium prudentisſimae doctisſimaeque peregrinationis, & Belgium, Galliam ac Italiam ita vidit, vt melior, prudentior, doctior inde euaderet. Summis in iure honoribus dignisſimum ſe exhibuit praeclarisſime defenſa an. 1651 m. Mai. ſub *Mehlbaumii* praeſidio doctisſima inaugurali *Diſſertatione de Praeſcriptionibus Iurium ex quaſi poſſesſione*, quae ipſius manu erat litteris conſignata. Patria deinde particeps denuo fiebat ciuis ingenti doctrina nec minori rerum optime in Academiis & itineribus geſtarum gloria conſpicui, eundemque cauſas aliquantiſper religioſe in iudiciis agentem conſpicabatur. Sed ad maiora natus anno 1659 d. 21 Decemb. Senator electus eſt. Praeluſerat his honoribus non ſolum anagramma omine forſan non carens, ſiquidem ex nomine eius: IOANNES RITTER per litterarum transpoſitionem fiunt haec verba: SENATOR INERIT: verum etiam Italus quidam, qui forte ex egregiis, quas in ipſo animaduertit,

tit, virtutibus magis, quam ex aliis caussis vaticinatus est, fore eum aliquando in patria Senatorem. *Als er*, inquit Mellius l. c. *zu Venedig sich aufgehalten, hat ein gewisser Italiäner, der aus der Physiognomie zu judiciren Profession gemacht, ihm unter die Augen gesagt, er würde dermahleins in seinem Vaterlande Raths-Herr werden; in welcher Vorbedeutung auch ein anderer, lange vorher, ehe es mit ihm so weit gekommen, aus seinem Nahmen Ioannes Ritter, das omineuse Anagramma: Senator inerit, es wird ein Raths-Herr in ihm seyn, verfertiget.* Imo vero fuit Senator, in quo an prudentia magis & eruditio, quam fides ac diligentia fuerit admiranda, dicere non audeo. Ipse Imperator eum amauit, honorique illius incrementum est largitus. *Anno quippe sequente* 1660, ait Suantenius l. c. *Viennam missus cum itineris ac negotiorum comite Dn. DIETERICO a BRÖMSEN, Senatore amplissimo, fidelem ciuitatis patriae obseruantiam inuictissimo Imperatori sancte solenniterque declarauit. Qui gloriosissimus Caesar, praeterquam quod nobilissimo RITTERO verba perpolita facienti vacuas saepius aures accommodauerit, Caesareum exinde Comitem Palatinum esse ipsum perliberaliter iussit.* At enimuero nondum exaequabant praestantiam eius hi honores, sed supremum illa quoque in hac republica, cuius saluti quauis ratione promovendae totum se dicauerat, postulabat. Quare accedebat summum Consulare fastigium, ad quod an. 1669. d. 20 Febr. feliciter ascendit, patriae Patris pii, iusti, candidi, prouidi splendidissimo munere per integros triginta & vnum annos

nos summa cum gloria defunctus. Imo talis semper fuit, qualem eum cognitum iudicauit *Hermannus Nottelmannus*, cuius *Plausus* summis RITTERI honoribus Consularibus datus hic inseri meretur, quoniam Ritterum egregie depingit. Ita vero canit hic vates:

Salue, magnanimum PHOSPHORE ciuium,
Illustris patriae sidus amabile,
Salue, Pierii dulce decus gregis,
Noster Phoebe, bonis omnibus vnice
Expectate diu, quem Themis inclyta
Formatum variis Palladis artibus,
Clarum consilio, iudicio grauem,
Integrum gemini Iuris & Arbitrum
Certat tergeminis tollere honoribus
Sublimisque iubet scandere Curiae
Excelsum solium, digna laboribus
Vt tandem capias praemia maximis
Et docto ferias culmina vertice.

Te nunc, Summe Virum, (quod bene verterit!)
Laeta voce vocat Patria CONSVLEM;
Cressa neu careat pulcra dies nota!
Applaudit populus, sanctior & Patrum
Defert Ordo tuis laetus honoribus
Fasces, Sceptra, Togam, cumque Securibus
Sublimes Aquilas, Regia munera;
Pompei, quanta Tibi Martia Consuli
Nunquam Roma tulit, nec Tibi, Scipio;
Vestra laude licet plenior omnium
Vatum plus nimio pagina turgeat.

Quantum pondus inest; hei mihi, quantum onus
Praetextis trabeis! Non diademata,

Non

Non ſunt ſceptra roſae, vulgus vti putat.
Eſt regnare labor; quem ſequitur mali
Inconſulta cohors; inuidia it comes,
Nec dens roſor abeſt truxque calumnia.
Haec ſunt Veſtra foris gaudia, Principes,
Haec ſunt Veſtra domi gaudia, Conſules.
Eſt regnare dolor; At dolor innocens,
Quo Virtus domitis purior enitet
Monſtris; innocuo vulnere fortior
Virtus ſurgit ouans, cedere neſcia,
Virtus, hoſte procul, neſcia vincere.
Ergo, macte Tua, Magne, potentia,
CONSVL; macte Tua, Magne, ſcientia;
Dextra perge manu ſceptra capeſſere,
Laeua ſume togam. Numen ineſt tuis,
CONSVL, conſiliis. Te Tua Ciuitas,
Te LVBECA, nouo lumine laetior,
Poſcit, Te patriae gentis Apollinem
Dicit, Te prece, Te proſequitur piis
Votis atque tuum luminibus poli
Miſcet nomen, vti Roma Quiritium
Olim magnanimum Publicolam tulit.
Virtutem ſequitur gloria cominus;
Et pulchre meritos ampla ſonantibus
Pennis Fama vehit longius aethere.
Te doctarum etiam praemia frontium,
TE curae vigiles, TE probitas ſagax
Diis miſcent ſuperis. Hinc Tibi purpuras
Gratus texit Amor; tollit eburneam
In laudes Erato barbiton & tuas.
Da nobis veniam, ſi, licet impares,
Nos tantis meritis, o patriae Pater,

Co-

Conemur tenues grandia reddere.
Vires deficiant, velle tamen placet.
Desint facta licet, verba locum tenent.
Voces ergo pias auribus accipe
Puris, vt nitidum reddidit aethera
Lux, quae prima TIBI CONSVLIS addidit
Nomen magnificum. Viue diu, Vale;
TE constans vigor & candida Faustitas
Firmet; vis animi strenua vincere
Gliscat, nec trepidet rebus in arduis
Spiret frontis honos Vespere pulcrior.
Parcat Parca nouis mitis honoribus.
At, voces populi sic Deus audiat,
Vt votis placidus suauibus annuat.
Dum plures repeto pectore formulas,
Inter verba cadit lingua silentio.

Exuit tandem mortalitatem an. 1700 Calend. Septemb., fama meritorum immortali relicta. Laudum eius testimonia deprehenduntur in monumento, quod in templo Mariano hac inscriptione cohonestatum cernitur:

Memoriae & meritis IOHANNIS RITTERI, ICti, Com. Pal. Caes. & Reip. patriae Lubecensis Consulis primarii, nati A. MDCXXII. d. XXVII Sept. in Senatum cooptati A. MDCLIX. d. XXI Dec. ad Consulare fastigium euecti A. MDCLXIX. d. XX. Febr. insigni denique pietatis, iustitiae & integritatis laude terris relicta, ad meliorem inter coelites vitam euocati A. MDCC. Kal. Sept. nec

ſine lacrymis hoc loco conditi, debitum monumentum poſuerunt heredes.

Plura dant nummi partim argentei, partim aurei in honorem eius ſignati, quorum licuit quinque videre. Primus exhibet in vna parte faciem Conſulis, cum his verbis: IOH. RITTER. ICT. COM. P. C. CONS. LVB.: in altera eius inſignia. Secundus in vna parte itidem ipſius faciem cum iisdem fere verbis: IOH. RITTER. ICtus. COM. PAL. CÆS. & CONSUL. In altera libram, addito hoc lemmate: ÆQVA DVRANT SEMPER. Tertius in vna parte eandem venerandam faciem, cum his verbis: IOH. RITTER. ICT. COM. P. C. CONS. LVB. In altera hanc inſcriptionem: INSIGNIVM. MERITORVM. VIR. NATVS. LVBECÆ. AN. MDCXXII. D. XXVII. SEPT. REIPVBLICÆ. PATRIÆ. AB. A. MDCLIX D. XXI. DEC. SENATOR. EIVSDEMQVE. AB. A. MDCLXIX. D. XX. FEB. CONSVL. PIVS. IVSTVS. INTEGER. NON. SINE. BONORVM. LVCTV. KAL. SEPT. A. MDCC. OBIIT. Conf. etiam Nou. Lit. Mar. Balth. 1700. p. 318, vbi hic nummus aeri inciſus videri poteſt. Quartum in ſubſequenti Magnifico RITTERI Collega adducam, Quintus denique, isque aureus, in vna parte quatuor glorioſae memoriae Conſules Lubecenſes oſtendit, cum his verbis: COSS. LVBEC. RITTER. WINCLER. a DORNE. KERCKRING. In altera parte vrbem Lubecam cum pyramide ſurſum ten-

dente ad Oculum radios demittentem in Vrbem, his adiectis verbis: TERQVE QVATERQVE DECORA.

MATTHAEVS RODDE.

Immortalium in Rempublicam Lubecensem meritorum RODDIANORVM haud exigua pars Viro huic Magnifico est adscribenda. Habuit enim in eo Consulem, quem pietatis ardor, patriae amor, prudentiae magnitudo, aequitatis studium quam maxime commendarunt. Gratulata igitur merito sibi est patria de hoc ciue an. 1699. d. 28 Octobr. in lucem producto. Gratulati sibi sunt de hoc optimae spei filio parentes ADOLPHVS RODDE, Senator Lubecensis meritissimus & CATHARINA BREMERIA, Matrona ornatissima. Gratulatus sibi est Otto Gualtperius, meus in munere antecessor, de hoc per annos haud paucos domestico ac discipulo probo, ingenuo, diligenti. Etenim, teste B. Hinckelmanno in Progr. in funere Consulis nostri p. 4. *iecit sub praeclaro hoc magistro bonarum artium fundamenta eximia, vt dignus omnibus videretur, qui ad Academicas exercitationes transiret.* An. 1646. d. 21 Febr. in numerum Patrum Conscriptorum fuit relatus, Senatorque declaratus. Splendida hac dignitate insignitus publicum commodum esse suum existimabat; & quicquid prudentia maxima, labore strenuo, circumspectu attento efficere poterat, id omne patriae consecrandum esse ducebat. In primis vero illustre fidei & sapientiae in

in rebus magni momenti gerendis documentum dedit, cum anno 1663 ad Serenissimum Sueciae Regem publico nomine Legatus mitteretur. Quibus rebus factum est, vt an. 1667 solemni ritu Consul nominaretur. *In hac dignitate,* inquit Hinckelmannus l. c. pag. vlt, *qualem se gesserit, nec chartae huius angustia concedit, nec necessitas postulat edisserere, cum nemo tam ingratus inter nos reperiri debeat, apud quem tanti Consulis memoria vilescere possit, cuius erga Deum pietatem, templa; ardens in promouendo bono publico studium, amplissimus ordo; integritatem & vigilantiam omnis multitudo praedicat.* Vnde optandum omnino fuisset, Rempublicam nostram hoc lumen diutius collustrasse. Sed intercedebat ineuitabilis fati vis, annoque 1677 illud, lugentibus bonis omnibus, extinguebat. Memoria tamen Consulis optime meriti hodieque superest, & non solum in animis ciuium, verum etiam in templo Mariano retinetur. Ibi enim conspicimus prope altare eius epitaphium, his verbis ornatum:

Æ. S. & B. M. Domini Dn. MATTHAEI RODDII, qui Senator factus A. 1646. missus ad Sueciae Regem Legatus A. 63. dein Consul electus A. 67 patriae praefuit ac profuit, Director obiit A. 77. aetatis 79. monumentum heredes p. p.

Iusta quoque Consuli optimo persoluit Brüggius hoc nitido Carmine: *Sol oriens in occasu, Memoriae viri Magnifici & nobilissimi Dn. MATTHAEI*

THAEI RODDII, Reip. Lubecens. Consulis Directoris praeclare meriti, sacratus a Dauide van der Brügge:

Quid coelo fugiunt gemmantia sidera Solis?
Et redeunt tenebrae tristiciesque polo?
Eheu! RODDIADES, Consul dignissimus aeuo
Sub terras moriens nobile sidus iit.
Stat pullata cohors, multa caligine septa,
Et Solem repetit voce gemente domus:
Quo Lux nostra fugis? cur sidus amabile charam
Progeniem linquis, spesque decusque domus!
Congemit Vrbs patriae Patrem confusa; tepentes
Effundunt lacrimas curia, templa, scholae.
Vos merito, Musae, gemitis, pia turba, patronum
Fletu & moerentes spargitis ora pio.
Qui Clariae multum studuit prodesse coborti,
Is dignus Clario condier oceano.

Ad Domum lugentem.

Sic praeclara piis mades fluentis,
Et moestum cor edens Domus fatiscis?
Quod praedulce tuum iubar recedit.
Crede, non periit micans Apollo.
Occidens oritur, nouatque flammas.
Vt Sol occiduis refulget vndis,
Et pingit roseo colore nubes:
Sic Phoebus patriae cadens refulget;
Sic Honos patria micabit vrbe
Dum Sol in supero micabit Orbe.
Nunc BRVMAS fugat & triumfat VMBRAS
Non eclipsis ei timenda, nec nox.

Ne

Ne praeclara piis made fluentis
Nec moestum cor edens Domus fatisce.

Ceterum illud non est omittendum, quod maxima inter NOSTRVM & RITTERVM modo laudatum intercesserit amicitia, quam confirmat etiam nummus aureus, in cuius vna parte est facies Ritteri cum his verbis: IOH. RITTER. ICT. COM. P. C. CONS. LVB. in altera facies Roddii cum his verbis: MATTHÆVS. RODDE. CONSVL LVBEC.

ADOLPHVS MATTHAEVS RODDE.

Aui ADOLPHI & Patris MATTHAEI excellentissimas virtutes in hoc Viro Illustri & Magnifico, Consule hodie Reipublicae Lubecensis primario, coniunctas patria quotidie laetissima conspicatur. Schola nostra vero optimis suis meritis omni iure accenset, quod, *Nottelmanni*, Rectoris, Collegarumque fide ac industria vsa, iecerit fundamenta consummatae, qua gaudet, eruditionis. Creuit illa deinceps per doctrinam praestantissimorum Professorum in Academiis Lipsiensi, Lugdunensi in Batauis (vbi illustrem ICtum *Boeckelmannum* praeceptorem habuit) & Kiloniensi, quarum haec Eum etiam vidit pro licentia summos in iure honores capessendi summo cum applausu *de Repressaliis* disputantem. Creuit porro per itinera, quae in Galliam, Angliam, Italiam, Belgium, Germaniam, sapientissime instituit, maximoque cum fructu confecit, optimis quibusque vitae ac re-

rerum gerendarum subsidiis vndique comparatis. Patria diuinas ingenii, prudentiae & doctrinae dotes in Eo admirata nihil magis in votis habuit, quam huius VIRI ministerio aliquando vti posse. Euasit votorum compos, nacta VIRVM, qui praeclarissimis in Rempublicam meritis bonorum omnium animos sibi conciliauit. Initium sumsit studium bene de patria merendi an. 1682, cum Secretarius esset declaratus. Auctum est an. 1695. Protonotarii munere ipsi d. 20 Febr. demandato. Maiora cepit incrementa, posteaquam an. 1701 splendido honore Senatorio fuit ornatus. Omnium maxime autem se ostendit, ex quo ad summam in Republica nostra Consulis dignitatem an. 1708 d. 20 Febr. fuit euectus. Cuncta haec munera qua dexteritate, qua iustitia, qua grauitate, qua fide, qua prudentia gesserit; Legationes in Aulam Danicam, Cellensem, & plures obiuerit; potentissimum Russorum Caesarem, PETRVM, Lubecam visitantem, ad quem Consul Director vna cum quatuor Senatoribus accessit, salutauerit oratione elegantissima, quam non solum Monarcha hic clementissime audiuit & multa ideo gratiae signa dedit, sed adstantium etiam multitudo demirata [illegible] ultaque alia negotia & in hac ci[illegible] eandem, expediuerit, non tam[illegible] us Reipublicae encomiis [illegible] Mearum modo [illegible] ri summ Nu[illegible] merit[illegible] p[illegible] alii

bunt, & nulla vnquam obliuioni tradet vetuſtas, velit diutisſime Reipublicae adeſſe incolumem, florentem, ex omni parte beatum. Meas autem vires cum tranſcendant Viri ſummi laudes, loqui ſaltem de eius pietate, amore erga ſinceram religionem & aliis virtutibus iubeo duos nummos aureos, quorum vnus an. 1708 cuſus exhibet in vna parte eius faciem cum his verbis: ADOLPH. MATTHÆUS RODDE. ICT⁹. CONS. LUBEC. In altera vero eius inſigne & ſymbolum: SINCERE. IVSTE. PIE. Alter eſt Iubilaeus. Etenim amore erga puram noſtram religionem Lutheranam ductus in honorem ac memoriam Iubilaei, hic etiam ſolemniter celebrati, ſignari iusſit monetam auream, in cuius prima parte conſpiciuntur inſignia Lubecenſia & Roddiana, circa quae haec verba: LUBECA IUBILANS. In altera parte: SACRA. SAECULARIA. 1717. 31 *octobr.* OB. REPURGATAM. PER. LUTHERUM. ECCLESIAM. Reliqui Conſules, quos Lubeca felicibus auſpiciis vidit ſecundum Iubilaeum Lutheranum celebrantes, ſunt Viri Magnifici atque Illuſtres PETRVS HENRICVS TESDORF & DANIEL MVLLERVS. De MVLLERO iam ſupra actum eſt [illegible] TESDORFII autem maxima in Rempubl[illegible] cuius Senator an. 1710. 16 Febr. [illegible] creatus eſt, merita, ſummam [illegible]ga pauperes & multas alias ex[illegible]virtutes cum ſummis laudibus ef[illegible]to eſ[illegible], qui Magnificum Vi[illegible] ego [illegible] hic praeterire plane ſilen-

ſilentio non poſſum, quamuis lubens fatear, verba, quae ego quidem facere poſſum, earum praeſtantiam non exaequare. Dictis meis aliquam fidem faciet nummus honoris TESDORFIANI cauſa an. 1715 cuſus, in cuius parte aduerſa Eius facies cum his verbis: PETR. HINR. TESDORF. CONS. LVBEC In auerſa eius inſigne & Symbolum: PIE. HONESTE. TEMPERANTER. Deus ſeruet Virum meritis illuſtrem in bonorum, in pauperum, in commune gaudium & emolumentum!

IOANNES WESTKEN.

Natiuitas Conſulis meritisſimi contigit an. 1639. d 22 Sept., quo die patrem HENRICVM WESTKEN, negotiatorem Lubecenſem honeſtisſimum & matrem CATHARINAM SCHILDERS filius feliciter in lucem editus magna laetitia affecit. Hi parentes maiori fuiſſent perfuſi gaudio, ſi illis licuiſſet eſſe ſuperſtitibus, vt eum in ſpem patriae adoleſcentem vidiſſent. Praeclarae enim fuit indolis, quam primo praeceptores priuati, deinceps publici, cum, maiora & ſolidiora docendus, in Athenaeum noſtrum ablegaretur, in eo animaduerterunt. *Committebatur*, inquit B. Suantenius in Memoria Weſtkeniana, *deinde patrii Ephebei litterariae diſciplinae, vt per claſſes eiusdem florentiſſimo hoc imbueretur apparatu, eaque faceret eximia ſtudiorum ac ſcientiae incrementa, quibus Academicae maturitas conſociationis ipſi accommodata euaderet.* Studiorum itaquae magis excolendorum cauſa Academicae-

demicos doctores Rostochii, Helmestadii, Lipsiae ac Ienae perdiligenter auscultabat. Eandem ob causam doctis delectatus peregrinationibus Belgium, Angliam & Galliam adiit, vt rebus magnis aliquando gerendis idonee se praepararet, & peregrinas linguas, quarum magnum esse vsum nouerat, sibi redderet familiares. *Peculiari etenim*, sunt verba citati Suantenii, *cupiditate ardebat percognitas sibi reddendi Gallicam, Italicam, Anglicam & Hebraeam linguas, eumque in finem nitidam ac peregregiam supellectilem librariam laudatissima solertia vsquequaque sibi comparabat & illius amoenitate peroptata iucundissime fruebatur.* Imo vero per Amicos compertum habeo, eum Consulari iam dignitate auctum & aetate grauem adeo vehementi Hebraeam linguam discendi ardore fuisse incensum, vt Iudaei cuiusdam ad Christiana sacra conuersi institutione vteretur. Litterariis rebus ciuiles salubri ratione adiungebat. Etenim an. 1680 d. 12 Iun. Senatoris & an. 1703 m. Febr. Consulis honores adeptus Reipublicae patriae gloriam, salutem, commodum omnis curae, omnis laboris, omnis sapientiae suae finem decernebat. Meritis itaque & annis (nam impleuit fere 75) onustus obiit Consul primus ac dirigens an. 1714. d. 31 Iul. Laudes WESTKENII amplificant duo nummi, quorum primus eius honori vnice inseruit. In prima parte exstat eius facies cum his verbis: IOH. WESTKEN. CONS. LVB. In altera, praeter annum, eius insigne & Symbolum: RECTE FACIENDO NEMI-

 NEM

NEM TIMEAS. MDCCX. Secundus honorat quatuor Consules Lubecenses. Nam in prima parte comparent facies & nomina IV Consulum: WESTKEN. GERCKEN. WICKEDE. RODDE. COSS. LVBEC. In altera conspicitur LVBECA & supra eam, praeter nomen יהוה radios in Vrbem spargens, hoc votum, cui mecum boni ac pii omnes ex animo subscribunt: ES MüSSE FRIEDE SEYN INWENDIG DEINEN MAVREN VND GLüCK IN DEINEN PALLäSTEN. Fiat! Fiat!

THOMAS a WICKEDE.

Nobilis familia Wickediana per quadringentos fere annos Lubecae floruit, siquidem HERMANNVS a WICKEDE, Consul primus, iam an. 1327 fuit Senator, & multos protulit, qui Reipublicae vel Consules vel Senatores eximia cum laude praefuerunt. Horum gloriam propagauit noster Consul, qui patre THOMA a WICKEDE & matre ELISABETHA PLöNNIES an. 1646. d. 22 Aug. Lubecae natus est. Ibidem fuit probe educatus & Praeceptoribus primum priuatis, deinceps publicis commissus. Vid. Auct. Memor. Wickedianae Germanica lingua scriptae, qui p. 4. publicam, qua fruitus est, institutionem commemorat. Idem laudat eius diligentiam, attentionem & coniunctos cum his studiorum successus, quos adeo felices expertus est, vt aetatis anno vicesimo prudentiorum omnium iudicio dignissimus fuerit Academiae candidatus. Contulit

lit igitur ſe Roſtochium, Roſtochio Heidelbergam, Heidelberga Baſileam, & quinque annos in his Academiis commoratus magnum bonarum litterarum ac iurisprudentiae theſaurum collegit. Hoc inſtructus Germaniae vrbes potiores inuiſit, & in primis Viennae, quae eum per aliquod tempus hoſpitem habuit, aulae Caeſareae rationes, quantum potuit, accurate obſeruauit. An. 1692 Patres reipublicae noſtrae Conſcripti in honorificum Senatorum ordinem eum cooptarunt; anno autem 1708 honorificentiſſimaeConſularis dignitatis participem fecerunt. Vtrumque munus grauiſſimum ita ſuſtinuit, vt laudatus auctor eximio eum encomio ornare nullus dubitauerit. Hoc malo ipſius, quam meis verbis repetere, quoniam teſtis oculati maior, quam auriti fides eſt. Ita autem ille p. 6 ſq: *Wie er ſich in ſolchem anſehnlichen Ehren-Stande, ja in ſeinem gantzen Leben, bezeiget, iſt unvonnöthen, weitläufftig zu erwehnen, ſintemahl der löbliche Tugend-Wandel des wohlſeligen Herren Burgermeiſters jedermann ſattſam bekannt iſt. Die wahre und ungefärbte Gottesfurcht, deren Er ſich von Kindes-Beinen an befliſſen, war der Grund, worauf ſein Thun und Laſſen beruhete, und denſelben immer feſter zu legen, forſchete Er fleisſig in der Schrifft, wohnete ämbſig und mit Andacht in der Kirche dem öffentlichen GOttes Dienſte bey, und bedienete ſich öffters mit busfertigem Hertzen des H. Abendmahls. Hiernechſt liebete Er in ſeinem hohen Ampte nichtes mehr, als die Gerechtigkeit, und ſetzte dieſelbe ſo wenig aus den Augen, daß Er ſie vielmehr zur beſtändi-*

gen Richtschnur erwehlte, wornach alle seine Handlungen möchten reguliret werden. Wie liebreich und freundlich Er einem jeden begegnet, und wie geneigt und willig Er den Geringen sowohl als den Vornehmen Gehör und auch Bescheid gegeben, kan niemand verhohlen seyn, der bey Ihm jemahls ein Gewerbe gehabt, oder auch mit Ihm umbgegangen. Nicht weniger hinterlässet Er viele Zeugen seiner Treue und Redlichkeit, welche, je seltener sie offtmahls heute zu Tage in der Welt ist, billig destomehr Lob verdienet. Und was soll man von dem unermüdeten Fleiß, und der wachsamen Sorge des Seligen Herrn Bürgermeisters vor das Wohlseyn des Gemeinen Besten, sagen? Gewis, daran hat Er es so wenig ermangeln lassen, daß Er dem Vaterlande zu Dienste niemahls einige Mühe gescheuet, oder sich der Gefahr entzogen hat. Ia endlich haben auch die Armen und Nothleidenden an Ihm eine nicht geringe Stütze dehabt, woran sie sich halten und aufrichten mögen: Massen Er denenselben seine Gutthätigkeit zu erweisen, keine Gelegenheit verabsäumet, sondern vielmehr auf alle mögliche Art und Weise sich ihrer Nothdurfft angenommen, und selbige erleichtert hat.
Virtutibus his addenda est mediocritas, cuius Eum fuisse studiosissimum, docet Symbolum ab Ipso electum. Insculptum illud est nummo, in cuius aduersa parte intueri licet Illustris & Magnifici Consulis faciem, cum his verbis: THOMAS a WICKEDE. CONS. LVBEC. In auersa autem apparent insigne, annus & Symbolum: IN OMNIBVS REBVS MEDIOCRITAS EST OPTIMA. MDCCVIII. Generoso & meritis inclyto hoc Consule Lubeca an. 1706 fuit

fuit non sine luctu orbata. Memoriam interim Consulis optimi in templo Aegidiano conseruat Epitaphium, hanc inscriptionem spectatori sistens:

Viro Magnifico ac Generoso Dn. THOMAE a WICKEDE, Cos. primar. qui antiq. nobilit. stemmate edit. anno 1646. d. 22 Aug. duodecimus e gente sua Senat. elect. A. 1692: quintus ex eadem Cos. A. 1708. Remp. patr. per 24 annos administrauit pie, iuste, candide, omnibus gratus, nemini grauis, de omnibus bene, de nullo male, de Republ. optime meritus. Pie obiit an. 1716. d. XVIII Dec. ELISAB. CATHAR. a WEDENHOFEN & GEORGIVS a WICKEDE, Reip. patr. Colonell. locum ten. Marito ac Fratri optimo cum lacrymis p.

ANTONIVS WINCLER.

Habuit Lubeca in hoc Viro Consulem, cuius & facundia & eruditio & prudentia cunctis mouit admirationem. Quare virum laude dignissimum nostra quoque Musa vetat mori, & iubet huius alumni Scholae nostrae spectatissimi quondam exempli memoriam hic omnino renouare. Ciuitate Lubecensi ille an. 1637. d. 27 Nouembr. per natiuitatem fuit donatus. Patrem veneratus est BENEDICTVM WINCLERVM, ICtum & Syndicum Reipublicae Lubecen-

THAEI RODDII, Reip. Lubecens. Consulis Directoris praeclare meriti, sacratus a Dauide van der Brügge:

Quid coelo fugiunt gemmantia sidera Solis?
Et redeunt tenebrae tristiciesque polo?
Eheu! RODDIADES, Consul dignissimus aeuo
Sub terras moriens nobile sidus iit.
Stat pullata cohors, multa caligine septa,
Et Solem repetit voce gemente domus:
Quo Lux nostra fugis? cur sidus amabile charam
Progeniem linquis, spesque decusque domus!
Congemit Vrbs patriae Patrem confusa; tepentes
Effundunt lacrimas curia, templa, scholae.
Vos merito, Musae, gemitis, pia turba, patronum
Fletu & moerentes spargitis ora pio.
Qui Clariae multum studuit prodesse coborti,
Is dignus Clario condier oceano.

Ad Domum lugentem.

Sic praeclara piis mades fluentis,
Et moestum cor edens Domus fatiscis?
Quod praedulce tuum iubar recedit.
Crede, non periit micans Apollo.
Occidens oritur, nouatque flammas.
Vt Sol occiduis refulget vndis,
Et pingit roseo colore nubes:
Sic Phoebus patriae cadens refulget;
Sic Honos patria micabit vrbe
Dum Sol in supero micabit Orbe.
Nunc BRVMAS fugat & triumfat VMBRAS
Non eclipsis ei timenda, nec nox.

Ne

Ne praeclara piis made fluentis
Nec moestum cor edens Domus fatisce.

Ceterum illud non est omittendum, quod maxima inter NOSTRVM & RITTERVM modo laudatum intercesserit amicitia, quam confirmat etiam nummus aureus, in cuius vna parte est facies Ritteri cum his verbis: IOH. RITTER. ICT. COM. P. C. CONS. LVB. in altera facies Roddii cum his verbis: MATTHÆVS. RODDE. CONSVL. LVBEC.

ADOLPHVS MATTHAEVS RODDE.

Aui ADOLPHI & Patris MATTHAEI excellentissimas virtutes in hoc Viro Illustri & Magnifico, Consule hodie Reipublicae Lubecensis primario, coniunctas patria quotidie laetissima conspicatur. Schola nostra vero optimis suis meritis omni iure accenset, quod, *Nottelmanni*, Rectoris, Collegarumque fide ac industria vsa, iecerit fundamenta consummatae, qua gaudet, eruditionis. Creuit illa deinceps per doctrinam praestantissimorum Professorum in Academiis Lipsiensi, Lugdunensi in Batauis (vbi illustrem ICtum *Boeckelmannum* praeceptorem habuit) & Kiloniensi, quarum haec Eum etiam vidit pro licentia summos in iure honores capessendi summo cum applausu *de Repressaliis* disputantem. Creuit porro per itinera, quae in Galliam, Angliam, Italiam, Belgium, Germaniam, sapientissime instituit, maximoque cum fructu confecit, optimis quibusque vitae ac re-

rerum gerendarum ſubſidiis vndique comparatis. Patria diuinas ingenii, prudentiae & doctrinae dotes in Eo admirata nihil magis in votis habuit, quam huius VIRI miniſterio aliquando vti poſſe. Euaſit votorum compos, nacta VIRVM, qui praeclariſſimis in Rempublicam meritis bonorum omnium animos ſibi conciliauit. Initium ſumſit ſtudium bene de patria merendi an. 1682, cum Secretarius eſſet declaratus. Auctum eſt an. 1695. Protonotarii munere ipſi d. 20 Febr. demandato. Maiora cepit incrementa, poſteaquam an. 1701 ſplendido honore Senatorio fuit ornatus. Omnium maxime autem ſe oſtendit, ex quo ad ſummam in Republica noſtra Conſulis dignitatem an. 1708 d 20 Febr. fuit euectus. Cuncta haec munera qua dexteritate, qua iuſtitia, qua grauitate, qua fide, qua prudentia geſſerit; Legationes in Aulam Danicam, Cellenſem, & plures obiuerit; potentiſſimum Ruſſorum Caeſarem, PETRVM, Lubecam viſitantem, ad quem Conſul Director vna cum quatuor Senatoribus acceſſit, ſalutauerit oratione elegantiſſima, quam non ſolum Monarcha hic clementiſſime audiuit & multa ideo gratiae ſigna dedit, ſed adſtantium etiam multitudo demirata eſt; multaque alia negotia & in hac ciuitate & extra eandem, expediuerit, non tam meis, quam totius Reipublicae encomiis dudum celebratur. Mearum modo partium eſſe duco, venerari ſummum Numen, vt hunc VIRVM, cuius merita ſemper populus Lubecenſis, ſemper alii praedicabunt,

bunt, & nulla vnquam obliuioni tradet vetuſtas, velit diutisſime Reipublicae adeſſe incolumem, florentem, ex omni parte beatum. Meas autem vires cum tranſcendant Viri ſummi laudes, loqui ſaltem de eius pietate, amore erga ſinceram religionem & aliis virtutibus iubeo duos nummos aureos, quorum vnus an. 1708 cuſus exhibet in vna parte eius faciem cum his verbis: ADOLPH. MATTHÆUS RODDE. ICT°. CONS. LUBEC. In altera vero eius inſigne & ſymbolum: SINCERE. IVSTE. PIE. Alter eſt Iubilaeus. Etenim amore erga puram noſtram religionem Lutheranam ductus in honorem ac memoriam Iubilaei, hic etiam ſolemniter celebrati, ſignari iusſit monetam auream, in cuius prima parte conſpiciuntur inſignia Lubecenſia & Roddiana, circa quae haec verba: LUBECA IUBILANS. In altera parte: SACRA. SAECULARIA. 1717. 31 *Octobr.* OB. REPURGATAM. PER. LUTHERUM. ECCLESIAM. Reliqui Conſules, quos Lubeca felicibus auſpiciis vidit ſecundum Iubilaeum Lutheranum celebrantes, ſunt Viri Magnifici atque Illuſtres PETRVS HENRICVS TESDORF & DANIEL MVLLERVS. De MVLLERO iam ſupra actum eſt. TESDORFII autem maxima in Rempublicam, cuius Senator an. 1710. 16 Febr. Conſul an. 1715 creatus eſt, merita, ſummam liberalitatem erga pauperes & multas alias excellentisſimas virtutes cum ſummis laudibus efferant, & merito efferant, qui Magnificum Virum norunt, ego etiam hic praeterire plane

 ſilen-

ſilentio non poſſum, quamuis lubens fatear, verba, quae ego quidem facere poſſum, earum praeſtantiam non exaequare. Dictis meis aliquam fidem faciet nummus honoris TESDORFIANI cauſa an. 1715 cuſus, in cuius parte aduerſa Eius facies cum his verbis: PETR. HINR. TESDORF. CONS. LVBEC In auerſa eius inſigne & Symbolum: PIE. HONESTE. TEMPERANTER. Deus ſeruet Virum meritis illuſtrem in bonorum, in pauperum, in commune gaudium & emolumentum!

IOANNES WESTKEN.

Natiuitas Conſulis meritisſimi contigit an. 1639. d 22 Sept. quo die patrem HENRICVM WESTKEN, negotiatorem Lubecenſem honeſtisſimum & matrem CATHARINAM SCHILDERS filius feliciter in lucem editus magna laetitia affecit. Hi parentes maiori fuiſſent perfuſi gaudio, ſi illis licuiſſet eſſe ſuperſtitibus, vt eum in ſpem patriae adoleſcentem vidiſſent. Praeclarae enim fuit indolis, quam primo praeceptores priuati, deinceps publici, cum, maiora & ſolidiora docendus, in Athenaeum noſtrum ablegaretur, in eo animaduerterunt. *Committebatur*, inquit B. Suantenius in Memoria Weſtkeniana, *deinde patrii Ephebei litterariae diſciplinae, vt per claſſes eiusdem florentiſſimo hoc imbueretur apparatu, eaque faceret eximia ſtudiorum ac ſcientiae incrementa, quibus Academicae maturitas conſociationis ipſi accommodata euaderet.* Studiorum itaquae magis excolendorum cauſa Academie-

demicos doctores Rostochii, Helmestadii, Lipsiae ac Ienae perdiligenter auscultabat. Eandem ob causam doctis delectatus peregrinationibus Belgium, Angliam & Galliam adiit, vt rebus magnis aliquando gerendis idonee se praepararet, & peregrinas linguas, quarum magnum esse vsum nouerat, sibi redderet familiares. *Peculiari etenim*, sunt verba citati Suantenii, *cupiditate ardebat percognitas sibi reddendi Gallicam, Italicam, Anglicam & Hebraeam linguas, eumque in finem nitidam ac peregregiam supellectilem librariam laudatissima solertia vsquequaque sibi comparabat & illius amoenitate peroptata iucundissime fruebatur.* Imo vero per Amicos compertum habeo, eum Consulari iam dignitate auctum & aetate grauem adeo vehementi Hebraeam linguam discendi ardore fuisse incensum, vt Iudaei cuiusdam ad Christiana sacra conuersi institutione vteretur. Litterariis rebus ciuiles salubri ratione adiungebat. Etenim an. 1680 d. 12 Iun. Senatoris & an. 1703 m. Febr. Consulis honores adeptus Reipublicae patriae gloriam, salutem, commodum omnis curae, omnis laboris, omnis sapientiae suae finem decernebat. Meritis itaque & annis (nam impleuit fere 75) onustus obiit Consul primus ac dirigens an. 1714. d. 31 Iul. Laudes WESTKENII amplificant duo nummi, quorum primus eius honori vnice inseruit. In prima parte exstat eius facies cum his verbis: IOH. WESTKEN. CONS. LVB. In altera, praeter annum, eius insigne & Symbolum: RECTE FACIENDO NEMI-

NEM TIMEAS. MDCCX. Secundus honorat quatuor Consules Lubecenses. Nam in prima parte comparent facies & nomina IV Consulum: WESTKEN. GERCKEN. WICKEDE. RODDE. COSS. LVBEC. In altera conspicitur LVBECA & supra eam, praeter nomen יהוה radios in Vrbem spargens, hoc votum, cui mecum boni ac pii omnes ex animo subscribunt: ES MVSSE FRIEDE SEYN INWENDIG DEINEN MAVREN VND GLVCK IN DEINEN PALLÄSTEN. Fiat! Fiat!

THOMAS a WICKEDE.

Nobilis familia Wickediana per quadringentos fere annos Lubecae floruit, siquidem HERMANNVS a WICKEDE, Consul primus, iam an. 1327 fuit Senator, & multos protulit, qui Reipublicae vel Consules vel Senatores eximia cum laude praefuerunt. Horum gloriam propagauit noster Consul, qui patre THOMA a WICKEDE & matre ELISABETHA PLöNNIES an. 1646. d. 22 Aug. Lubecae natus est. Ibidem fuit probe educatus & Praeceptoribus primum priuatis, deinceps publicis commissus. Vid. Auct. Memor. Wickedianae Germanica lingua scriptae, qui p. 4. publicam, qua fruitus est, institutionem commemorat. Idem laudat eius diligentiam, attentionem & coniunctos cum his studiorum successus, quos adeo felices expertus est, vt aetatis anno vicesimo prudentiorum omnium iudicio dignissimus fuerit Academiae candidatus. Contulit

lit igitur ſe Roſtochium, Roſtochio Heidelbergam, Heidelberga Baſileam, & quinque annos in his Academiis commoratus magnum bonarum litterarum ac iurisprudentiae theſaurum collegit. Hoc inſtructus Germaniae vrbes potiores inuiſit, & in primis Viennae, quae eum per aliquod tempus hoſpitem habuit, aulae Caeſareae rationes, quantum potuit, accurate obſeruauit. An. 1692 Patres reipublicae noſtrae Conſcripti in honorificum Senatorum ordinem eum cooptarunt; anno autem 1708 honorificentiſſimae Conſularis dignitatis participem fecerunt. Vtrumque munus grauisſimum ita ſuſtinuit, vt laudatus auctor eximio eum encomio ornare nullus dubitauerit. Hoc malo ipſius, quam meis verbis repetere, quoniam teſtis oculati maior, quam auriti fides eſt. Ita autem ille p. 6 ſq: *Wie er ſich in ſolchem anſehnlichen Ehren-Stande, ja in ſeinem gantzen Leben, bezeiget, iſt unvonnöthen, weitläufftig zu erwehnen, ſintemahl der löbliche Tugend-Wandel des wohlſeligen Herren Burgermeiſters jedermann ſattſam bekannt iſt. Die wahre und ungefärbte Gottesfurcht, deren Er ſich von Kindes-Beinen an befliſſen, war der Grund, worauf ſein Thun und Laſſen beruhete, und denſelben immer feſter zu legen, forſchete Er fleisſig in der Schrifft, wohnete ämbſig und mit Andacht in der Kirche dem öffentlichen GOttes Dienſte bey, und bedienete ſich öffters mit busfertigem Hertzen des H. Abendmahls. Hiernechſt liebete Er in ſeinem hohen Ampte nichtes mehr, als die Gerechtigkeit, und ſetzte dieſelbe ſo wenig aus den Augen, daß Er ſie vielmehr zur beſtändigen*

gen Richtschnur erwehlte, wornach alle seine Handlungen möchten reguliret werden. Wie liebreich und freundlich Er einem jeden begegnet, und wie geneigt und willig Er den Geringen sowohl als den Vornehmen Gehör und auch Bescheid gegeben, kan niemand verholen seyn, der bey Ihm jemahls ein Gewerbe gehabt, oder auch mit Ihm umbgegangen. Nicht weniger hinterlässet Er viele Zeugen seiner Treue und Redlichkeit, welche, je seltener sie offtmahls heute zu Tage in der Welt ist, billig destomehr Lob verdienet. Und was soll man von dem unermüdeten Fleiß, und der wachsamen Sorge des Seligen Herrn Bürgermeisters vor das Wohlseyn des Gemeinen Besten, sagen? Gewis, daran hat Er es so wenig ermangeln lassen, daß Er dem Vaterlande zu Dienste niemahls einige Mühe gescheuet, oder sich der Gefahr entzogen hat. Ia endlich haben auch die Armen und Nothleidenden an Ihm eine nicht geringe Stütze dehabt, woran sie sich halten und aufrichten mögen: Massen Er denenselben seine Gutthätigkeit zu erweisen, keine Gelegenheit verabsäumet, sondern vielmehr auf alle mögliche Art und Weise sich ihrer Nothdurfft angenommen, und selbige erleichtert hat.
Virtutibus his addenda est mediocritas, cuius Eum fuisse studiosissimum, docet Symbolum ab Ipso electum. Insculptum illud est nummo, in cuius aduersa parte intueri licet Illustris & Magnifici Consulis faciem, cum his verbis: THOMAS a WICKEDE. CONS. LVBEC. In auersa autem apparent insigne, annus & Symbolum: IN OMNIBVS REBVS MEDIOCRITAS EST OPTIMA. MDCCVIII. Generoso & meritis inclyto hoc Consule Lubeca an. 1706 fuit

fuit non sine luctu orbata. Memoriam interim Consulis optimi in templo Aegidiano conseruat Epitaphium, hanc inscriptionem spectatori sistens:

Viro Magnifico ac Generoso Dn. THOMAE a WICKEDE, Cos. primar. qui antiq. nobilit. stemmate edit. anno 1646. d. 22 Aug. duodecimus e gente sua Senat. elect. A. 1692: quintus ex eadem Cos. A. 1708. Remp. patr. per 24 annos administrauit pie, iuste, candide, omnibus gratus, nemini grauis, de omnibus bene, de nullo male, de Republ. optime meritus. Pie obiit an. 1716. d. XVIII Dec. ELISAB. CATHAR. a WEDENHOFEN & GEORGIVS a WICKEDE, Reip. patr. Colonell. locum ten. Marito ac Fratri optimo cum lacrymis p.

ANTONIVS WINCLER.

Habuit Lubeca in hoc Viro Consulem, cuius & facundia & eruditio & prudentia cunctis mouit admirationem. Quare virum laude dignissimum nostra quoque Musa vetat mori, & iubet huius alumni Scholae nostrae spectatissimi quondam exempli memoriam hic omnino renouare. Ciuitate Lubecensi ille an. 1637. d. 27 Nouembr. per natiuitatem fuit donatus. Patrem veneratus est BENEDICTVM WINCLERVM, ICtum & Syndicum Reipublicae Lubecen-

censis inclytissimum, ac matrem CATHARINAM BRANDIS Matronam gloria & perantiquae stirpis & virtutis conspicuam. Patre, quem educationis curam praecipuam gerere oportebat, ipsi valde iuueni fuit carendum: quod tamen damnum per fidelem in Lyceo nostro institutionem est resarcitum. *Cum puero*, inquit Suantenius in Progr. Funebr. p. 4, *ipsi vndecenni erepta esset funesta Nobilissimi patris morte an.* 1648 *fidelis vltra educandi cura, ob raras ei adiectas animi dotes, studia eius teneriora adhuc reddita sunt lucidiora atque alacriora ductu virorum perquam eximie tunc de ludo litterario publico merentium*, Lippii & Linckii: *vlteriori abhinc clarissime promota atque exculta auspicio virorum praeclarissime ac solertissime de otio litterato meritorum*, Kockerti, Bangerti & Meieri. Res in Gymnasio ex praeceptorum voto ab eo gestae impulerunt B. Nottelmannum, vt elegantissimo Carmini, quo Ei honores Senatorios an. 1671 gratulatus est, hos versus insereret:

Tu Patriae, WINCLERE, tuae spes maxima quondam,
Cum prima fundamenta poneres, eras.
Tu Praeceptorum fueras vel sola voluptas,
Tua cum voluptas sola fuerat, discere,
Surgebas Genitricis amor, Genitoris imago,
Cum multa pectus tingeret virtus Tuum.

Liberaliter igitur disciplina cultiori eruditus an. 1655 Athenaeum nostrum cum Lipsiensi Academia commutauit. Constitutus deinceps generosorum iuuenum *a Röden* doctrinae ac morum

rum magister, cum iis Heidelbergam concessit. Inde eosdem itineris socios nactus Francofurtum ad Moenum an. 1658 profectus est, vt videret solemnia celebrata, cum LEOPOLDI I Imperatoris augustissimo capiti corona Imperialis imponeretur, & simul Giessensem Academiam visitaret. Rediit postea Heidelbergam ibidemque aliquot porro annis exactis Tubingam & Argentoratum contendit. Trahebat eum deinceps ad se Gallia, litteris aliisque rebus visu ac auditu dignis florentissima. Idem faciebat Italia, in qua NOSTER multa quoque rariora contemplatus est. Germaniae redditus Aulae Viennensis & Camerae Spirensis statum accurate sibi cognitum reddere e re sua esse ante omnia duxit. Elapsi autem erant integri tredecim anni, cum tandem an. 1668 per vrbes, Illustrissimorum Principum aulis celebres, Dresdam, Berolinum, Casseliam, Hannoueram & Cellam, in patriam rediret. Primum industriae & laboris praemium reportavit an. 1669, cum, egregie defensa pro rostris Academicis Disputatione inaugurali *de Iure Interuentionis*, Academia Kiloniensis V. I. Doctorem eum publice renunciaret. Subsequenti anno noua sese Ei obtulit occasio Galliam & Viennam denuo inuisendi. *Reducem*, scribit Suantenius l. c. p. 5, *post annum nouellum Iuris Doctorem an.* 1670 *amicis & comibus compellauit precibus (promisso pariter & misso singulari aliquo munificentiae gratissimae documento) generosa Matrona a RANTZOWEN, Heres in*

Neu-

Neuhaus, vt generosum eius filium Dn. CAIVM *a* RANTZOW, *potentissimo Daniae Regi a consiliis primum prouincialibus, postea etiam intimis, in Galliam profecturum, & comitaretur & reduceret. Cui honesto pariter ac decoro vt satisfieret desiderio, confecto illustri per Galliam itinere, vna cum viae generoso comite, Viennam se contulit, visuque ac obseruatione condignas res ibi prouidentissime intuitus est. Eueniebat insimul, vt commoranti ibidem Consultissimo viro peculiaria quaedam iuxta votum expedienda negotia publica, a Magnifico Senatu Lubecensi committerentur, commissa proponerentur, proposita consummarentur.* Cum igitur patria eum cognosceret virum ad magni momenti res perficiendas quam maxime aptum, mox consilium cepit de illo adscribendo iis, qui prudenter Rempublicam gubernabant. Quare an. 1671 d. 24 Maii laetis auspiciis Senator fuit appellatus. *Inde*, ait laudatus Suantenius p. 6, *qua dexteriore efficacitate, quo ardore singulari, quo eminente consilio ornamentum praeclarissimum adepto conciliare atque addere honori Senatorio allaborauerit, anni susque perinsigniter fuerit, vt florentiori commodo publico, vt increscentibus sensim commerciis, vt rei denique communi plus vltra perrecturae decus, augmentum, vigor & accederet & amplificaretur & perennaret, omnium vberrime & certissime testificabuntur tam in cancellis asseruata publicis illustrissima monumenta, quam series amplissima atque augustissima multiplici perfectarum vice legationum. Quandoquidem an. 1673 Hamburgum, an. 1675 Mülhusium missus est, vt circulari ibidem conuentui interesset: anno post 1676 ad potentissimum*

ſimum primo Electorem Brandeburgicum, deinde Viennam, vt in Aula Imperatoria commiſſas ſibi res ciuitatis exequeretur, commigrauit. Praeterea an. 1677 ad Aulas Cellenſem atque Brandeburgicam, A. 1681 Brunſuigam profectus eſt, inde Cameram tunc S. R. I. Spirenſem petens. An. 1683 Berolinum, an. 1686 Cellam, an. 1689 Hamburgum conſpicuus hic maxime, facundus & publicus Orator ablegatus eſt, vt partim iura quondam Ciuitati patriae cum finitimis controverſa vindicaret, partim decus, florem, emolumentum vtilitatis publicae & animaduerteret & tueretur & propagaret. His & aliis rebus meruerat vtique ſplendidisſimum Conſulatum, ad quem an. 1694 Calend. Maii aſcendit. In honorem eius cuſa eſt hoc tempore moneta aurea, cuius pars aduerſa habet faciem, cum his verbis: ANT. WINCKLER. I. V. D. CONS. LVB Altera vrbem Lubecam, cum his verbis: LIBERTAS RES INAESTIMABILIS. MDCXCIV. Diſceſſit a ſtatione honorificentisſima, meritis maximis condecoratus, an. 1707, gloriam terrenam cum coeleſti felicisſime commutans. Supereſt tamen glorioſa eius memoria, qua praedicatur decus patriae, ſagacitatis incomparabile exemplum. Alias eius laudes & virtutes continet marmorei Epitaphii, quod eſt in Templo Mariano, inſcriptio hic ſubiungenda:

D. O. M. S. Memoriae immortalium in Remp. meritorum Illuſtris & Magnifici Dn. ANTONII WINCLERI, I. V. D. excellentiſſ. Conſulis primarii, pii, magnanimi, patriae patris lau-

P da-

datisſimi, ad aulas Caeſaris & Principum Legati multoties grauisſimi, nati A. 1637. 27 Nov. genitore inclyto ICto Dn. BENEDICTO WINCLERO, Syndico huius Reip. primario, in Senatum vocati an. 1671. 24 Maii, ad Conſulatum an. 1694. 1 Maii, relicto denique ex filio an. 1702 in beatorum conſortium recepto, Dn. BENEDICTO PETRO, I.V.D. tenerrime dilecto nepote *Antonio Henrico*, An. 1707. 15 Febr. pie defuncti, cum deſiderio tanti Viri, vltimae Conſularis voluntatis nuncupati Executores p. c.

Conſ. etiam de Vita Wincleri Nou. Lit. Mar. Balth. 1707. p. 95 ſq.

CONSVLIBVS CREVIT LAVS ADMIRANDA LVBECAE:
CONSVLIBVS CREVIT LAVSQVE DECVSQVE SCHOLAE.

SECTIO

SECTIO II.

EXHIBENS

SYNDIC. SENATORES, PROTONOT. ET SECRETARIOS LVBECENSES.

NOn incommodum fore arbitror, de iis viris, instituti ratione habita a nobis commemorandis, post Magnificos COSS. Lubecenses quaedam commentari, qui ad illustrem Senatum Lubecensem pertinent, quo Is eo melius coniungatur. Ordinem alphabeticum, quem per totum hunc librum retinere animus est, hic etiam obseruabo citra omnem laesionem honoris (quem semper saluum esse volo), quo alter alterum superat. Non potero autem in hac Sectione tantum numerum proferre, quanto aliae gaudent. Etenim quod ad Syndicos Lubecenses attinet, tantum non omnes sunt extra Lubecam nati & in hanc ciuitatem aliunde arcessiti. Senatores autem partim fiunt Consules, quare quot Consules adduxi, tot etiam iam laudaui Senatores: partim florent scientia faciendae mercaturae, quae ita necessaria, vt sine ea respublica non possit dici florentissima. Gratulamur itaque merito Reipublicae nostrae, quando videmus Senatores optime meritos HERMANNVM RODDE, HERMANNVM BILDERBECK, GERHARDVM LÜDERS, IACOBVM HÜBENS, HENRICVM WOLDT, EBERHARDVM HOYER,

quos omnes Deus ſeruet & in Patriae commodum diutisſime ſuperſtites eſſe iubeat. Protonotarii quoque & Secretarii ad Senatoriam dignitatem non raro aſcendunt. Imo, ne quid disſimulem, dantur inter peregrinos, qui deinceps in hanc ciuitatem ſunt adſcripti, dantur inter eos, qui in hac ciuitate nati, nonnulli, de quibus certo conſtat, quod in noſtro Lyceo non didicerint. Dabo tamen eos, quos indubitate licuit experiri, fuiſſe olim in Athenaeo noſtro eruditos. Maior ſine dubio potuiſſet eorum copia afferri, ſi antiquis temporibus virorum bene meritorum memoriae fuiſſent litteris conſignatae, & ita quidem, vt curriculi quoque ſcholaſtici, quod mihi in gratiam Scholae ſcribenti inprimis obſeruandum, ratio fuiſſet habita. Succeſſu temporis plura huc ſpectantia forſan detegi & alia occaſione in lucem queunt produci ac renouari. Interim, vt ſcriptioni meae fides posſit haberi, ea tantum memorabo, quae teſtimoniis ſufficientibus poſſunt probari.

HENRICVS BALEMANN.

Diu floruit Lubecae meritis inclyta familia Balemanniana. Anno 1580 d. 30 April. in lucem editus eſt HENRICVS BALEMANNVS, qui an. 1628 in ordinem Senatorium Lubecenſem fuit cooptatus, &, Senatoris primarii munere fungens, an. 1645. d. 14 Dec. vitam cum morte commutauit. Vtrum ſchola patria eum habuerit alumnum, teſtimoniis deſtitutus & ſola coniectura niſus affirmare non audeo. Fu-

Fuiſſe eum tamen Virum peregregium, me docet Iac. Kockertus, in Epicedio ita canens:

Occidit ah! flos ille virum Balemannus, & acri
Iudicioque potens conſilioque grauis;
Qui tria cum denis quamuis quinquennia vitae
Egerat, & niuibus tempora plenus erat.
Publica nos patriae tamen emolumenta vetabant
Annos egregii dinumerare viri.
Cui fuit optandum contingere longius aeuum,
Ignaros lethi vel potuiſſe dies.
Optarunt & idem gnati, optauere nepotes:
Quis patriae haec eadem vota fuiſſe neget?

Filium reliquit HENRICVM BALEMANNVM, qui an. 1609 Lubecae natus, in patria atque Andegaui inſtitutus, Britanniam ac Belgium peregrinando emenſus, an. 1639 Secretarius, an. 1648 Protonotarius Reipublicae patriae fuit conſtitutus. Acceſſerunt ob ſingularem eruditionem & res ſapienter geſtas Comitis Palatini honores, de quibus ita commentatur B. Seb. Meierus in Progr. Funebr. p. B 4: *Cum Gallicae atque Latinae linguae ſatis eſſet gnarus, & vi, quae a flexanima vocis clementer graſſante ſuada proficiſcitur, polleret; tum quoque cum exteris & peregrinis, vnde vnde etiam veniſſent, verſari noſſet, maximam & ab exteris, quibus cum verſabatur, & a Magiſtratu, cuius partes ſuſtinebat, gratiam inibat. Atque haec ſingularis eius humanitas inque rebus gerendis prudentia effecit, vt inuictiſſimus & potentiſſimus Imperator Romanus FERDINANDVS III Comitem iſtum Palatinum, qua dignitate vix quicquam maius in hominem litteratum*

conferri poteſt, anno ſupra ſeſquimilleſimum centeſimo quinquageſimo ſecundo crearit. Egregius hic vir, cuius cum morte an. 1656, d. 15 Dec. magna meritorum ſpes eſt collapſa, licet Scholae noſtrae nunquam fuerit diſcipulus, meretur tamen omnino hic laudari ob maximam prudentiam, qua nouit publicam inſtitutionem rite aeſtimare ac priuatae omnino praeferre, & ob amorem prorſus eximium, quo eandem eſt proſecutus. Idoneum teſtem habeo Meierum, qui l. c. *amor*, inquit, *qui animo eius inſederat, in omnes omnino homines, cuiuscunque ordinis & conditionis fuerunt, ſe diffudit. Ille, quod non adumbratum, ſed expreſſum candoris, integritatis & pietatis fuit documentum, Reuerendo Miniſterio & qui ſuam erudiendae iuuentuti operam locant, publicis Praeceptoribus ex animo fauit, & eorum, quoties neceſſitas flagitauit, cauſam egit. Ipſe licet ſcholae limina nunquam calefeciſſet, nunquam tamen alieniori a publica inſtitutione erat animo: imo non obſcure ſaepius dolorem, quem ex ea re perciperet, ſignificabat. Quamobrem & filios ſuos omnes & ſingulos, quicquid etiam alii inſuſurrare molirentur, publicis Praeceptoribus erudiendos committebat, & aliis, vt ex ſe exemplum, ſuis quod ex vſu liberis eſſet, caperent, auctor erat. Atque hoc ipſum optimo iure & ſalua conſcientia facere poterat, cum de voluntate & conſilio Ampliſſimi Magiſtratus ſingulis ſemeſtribus in ſcholam miſſus, quid publicae ſcholae alumni, quid priuatim docti praeſtare poſſent, liquido ſatis cognoſceret. Quapropter cum ſecundum Deum & coniugem nihil in terris haberet pretioſius liberis, quorum ſalutem,*

tem, ſuam eſſe ducebat, nihil praetermittere voluit. quod eam vel promouere, vel in ſolido locare poſſet, Quoties ergo in ſcholam ventitabat, quoties in plateis obuiam Praeceptoribus procedebat, quomodo filii ſui ſe gererent percontabatur, ſuamque beneuolentiam & verbis & factis declarabat. Filii iſti fuerunt FRIDERICVS BALEMANNVS, natus an. 1645. 24 Mai., ingreſſus eruditum certamen Argentorati an. 1674 defendendo ſine Praeſide pro impetrandis ſummis in iure honoribus *Diſputationem Inauguralem de Iure Meliorationum competente Emtori ex pacto reuendenti* & deinceps ad ſplendidam dignitatem Sereniſſ. Friſiorum Principis Conſiliarii Regiminis ac Camerae, & Quaeſtoris Generalis euectus: CHRISTOPHORVS ANTONIVS BALEMANNVS (m), qui, quoniam

(m) Hic reliquit egregium filium ANTONIVM BALEMANNVM, qui valde iuuenis an. 1712 in Academia Wittenbergenſi obiit, cum praecocis ingenii varia dediſſet ſpecimina, ſiquidem an. 1707 & ſequenti Theſibus ex Synopſi Schelguigiana deſumtis quatuor Diſputationibus ventilandis operam nauauit, an. 1708 eruditam *Exercitationem Theologicam de Peccatis poſt mortem commiſſis*, quam ipſe elaborauit, in Gedanenſi Athenaeo ſolemni diſquiſitioni ſubiecit, & an. 1709 *Io. Fechtii*, Theologi poſt fata etiam colendi, *Pelagianiſmum doctrinae de vera irregenitorum circa res ſacras notitia calumnioſe obiectum* pro roſtris Academicis ſtrenue defendit. Imo digniſſimus fuit elogio, quo V. C. Io. Guil. Bergerus, Academiae Wittenbergenſis decus, in Diſſertat. Academic. pag. 484 eum mactauit: *Magnum dedit in omni vita probitatis, induſtriae, docilitatis vbique documentum, doctrina non*

niam postea Gedani mercaturam fecit; eruditis mercatoribus omnino est accensendus: DANIEL NICOLAVS BALEMANNVS in ipso aetatis flore mortuus, &, quem primo loco nominare debuissem, HENRICVS BALEMANNVS, de quo nunc pluribus est agendum. Vitae vsuram, cuius an. 1643 particeps factus est, vt & praeclaram institutionem alma mater Lubeca ei impertiuit. Nam *postquam ex ephebis excessit*, ait B. Suantenius in eius Memoria, *vt elegantiori imbueretur litteratura, traditus est viris perquam eximie tum merentibus de ludo litterario publico, inque Gymnasio & Schola celeberrime laborantibus Meiero, Bangerto & Polzio.* In patria quoque *Dauidis Brüggii* priuata institutione & in transitu ad Academiam Halae *Martini Lipenii* opera vsus est. Wittebergae deinceps *Zieglerum* & *Leiserum*, Halae *Gucinzium* & Giessae *Taborem* atque *Aitenium* iuris addiscendi causa perquam diligenter auscultauit. Neque desiit eius industria Kilonii, vbi *Mauritii* ac *Martini* fauore in primis fruitus atque generoso iuueni *a Rumohr* vitae studiorumque moderator praefectus est. Diligentiae tandem quoque praeclarum ibi praemium accepit, ac V. I. Doctor solemniter renunciatus est, cum sub praesidio Viri re & nomine magni *Magni a Wedderkop* (quem illustribus, qui in Gymnasio nostro instituti sunt, viris

non leuiter apparata inter aequales explenduit, intelligentes accuratosque ingenii exploratores in expectationem sui non mediocrem adduxit.

viris non ſine voluptate etiam poſſumus accenſere) *de Transmiſſione Haereditatis* maxima cum laude an. 1673 diſputaſſet. Viderunt noſtrum quoque Suecia, Anglia, Belgium, Gallia aduenam cunctas notatu dignas res & doctrinae & prudentiae amplificandae cauſa obſeruantem. Patria autem (licet operam eius efflagitaret illuſtris militiae Suecicae Imperator Baro de Würtzen, vt eſſet a ſecretis) deinceps conſpexit acquiſita ſapientia ad promouendam ſalutem publicam ſalubri ratione vtentem. Teſtatur munus Syndici peregrinationes obeuntis, quod noſtro an. 1675. d 18 Aug. a Magnifico Senatu traditum. Teſtatur ſparta Senatoria, quam an. 1680 accepit & acceptam exequendo dextre omnia, quae requirit, officia ornauit. Teſtantur Legationes, quarum his verbis mentionem facit Suanteni s: *Aliquoties Legati munere perfunctus publici augmentum & procurationem commodi cordi maxime habuit. Nam & an. 1677 vna cum viro conſultiſſimo Dn. D. Michaelis, Syndico quondam nobilisſimo, Brunſuigae habito conuentui circulari interfuit, & anno ſequente, adiunctus delegatis Oratoribus Bremenſibus atque Hamburgenſibus, Nouiomagum conceſſit, tam ſuae Vrbis, quam Hanſeaticarum ciuitatum commoda obſeruatum atque promotum. Menſe Maio an. 1672 Luneburgum diſceſſit ad conuentum Circuli, gaudens viae ac negotiorum participe Viro generoſo Dn. Hieronymo a Dorne, Senatore amplisſimo, votumque Ciuitatis ſuae ſolerti curae commendatum habuit, vsque eo, vt communi Oratorum ſtudio non minima patriae vrbi emolumenta acce-*

cederent. Nouissime ante biennium (an. 1691) *in Daniam missus, tam expedite tamque feliciter caussas sibi commissas apud Regem potentissimum perorauit, inque familiaritatem eminentium & imperii & aulae procerum sic se insinuauit, vt tam voti sui, quam Regiae etiam munificentiae largiter compos redditus fuerit.* Maximorum igitur meritorum gloria insignitus, an. 1693. d. 20 Iul. vitam finiuit, nactus, praeter alios, praeconem admodum reu. *Mellium*, quem optimis suis poëtis Lubeca iure accenset. Ex elegantissimo eius carmine, quo exequias nostro factas cohonestauit, non possum non haec laudum Balemanni argumenta repetere:

Gnug, daß mit diesem Mann uns eine Cron entfällt;
Daß Kirche, Stadt und Hauß muß einen Vater missen;
Daß eine Seule bricht, [illegible] andere zerschellt;
Daß unserm Regimen[illegible] Grundstein wird entrissen.
Ach, wer die Sonne kennt, weiß den verlohrnen Schein
Bey ihrem Untergang empfindlich zu bedauren;
So wer um diesen Riß nicht hertzlich wolte trauren,
Müst' unempfindlicher als Stein und Eisen seyn.
Wir können anders nicht, als unsern Sinn entsteinen,
Und über Stein und Seul, ja Cron und Vater, weinen.

Cum

Cum his consentiunt, quae eius Epitaphio, quod templum Marianum ornamentis suis annumerat, sunt inscripta:

Magnis in patriam meritis laudatus, & ingens
Curiae amor, vita vel ei quae charior omni;
Nequitiae scopulus, Pharos ast iucunda piorum,
De coelo patriae donatum nobile pignus,
Vno hoc forte nocens, moriens quod destituit rem,
Hoc BALEMANNIADES visus Camerarius ore.

HENRICVS BALEMANN, I. V. D. & Camerarius, natus an. MDCXLIII. 8 Febr. A. MDCLXXV. 18 Augusti Syndicus expeditionibus ad exteros designatus, A. MDCLXXX Senator electus, omnes officii partes laudabiliter impleuit. A. MDCXCIII. 20 Iul. ex oculis sublatum anxie desiderant

Publica res, Ciues, pia Coniux, vnica Proles.

HENRICVS BALEMANN.

Patrem sequitur filius, de quo verissime praesagiuit B. Suantenius I. C., quod *paternae gloriae, virtutis ac fortunae venustissimus heres euasurus sit.* Euasit enim talis, qualem laudatus ipsius praeceptor eum iudicauit cognitum, adeo vt cum Patre in plerisque possit comparari, quod vitae ipsius rationes docebunt. Ortum eius sibi vendicat alma Lubeca, quae eum an. 1677. d. 15 Nouembr. in lucem editum excepit. In eadem

dem optimis litteris fuit imbutus per publicos inprimis doctores. Quamuis enim Godofredus Henricus Scheuius & Henr. Escherus quaedam eum priuatim docuerint, plurima tamen in publico Athenaeo nostro hausit. Laudanda hic omnino est constantia, qua ab infima classe ad supremam commendando valde exemplo perrexit. Etenim ex disciplina *Io. Kochii*, *Christian. Scheuii*, *Christoph. Chrysii* & *Marci Widae* eum *Iac. Pagendarmius* Cantor, *Mich. Freudius* ac *Sixt. Christian. Lipenius* Subrectores, *Martin. Lipenius*, *Io. Henr. Hessius*, atque perbreui tempore *Mart. Christian. Göldelius*, Conrectores & denique *Enoch. Suantenius* Rector acceperunt & egregie porro ad Academica studia praepararunt. Haec auspicaturus an. 1696 publico specimine oratorio *de Symbolo HENRICI II Imperatoris : Ne quid nimis* declarauit, quod fuerit Scholae nostrae discipulus & ob eruditionis copiam & ob morum venustatem commendandus. In Altorfina deinceps Academia *Rötenbecio* ac *Sturmio* Philosophis, *Hammero*, *Wagenseilio* & *Donauero* ICtis, simili ratione se probauit. In primis vero adhaesit Donauero, atque non solum eius scholis iuridicis priuatissimis interfuit, verum etiam sub illius praesidio *Disputationem Iuridicam*, cuius ipse auctor est, *de Literis Dimissoriis* an. 1698 defendit. Hoc anno cum abitum pararet, Wagenseilius epistolam honorificam Disputationi Balemannianae praefixam his finiebat verbis: *Aegre te a nobis dimittimus, sed quia necessitati parentren-*

rendum, en, cape, qua nulla melior concipi effingique potest, dimissoriam formulam:

I, bone, quo tua te virtus vocat, i pede fausto.

Iuit autem Ratisbonam, vt comitia obseruaret; Monachium, Augustam, Norimbergam, Erfurtum, vt notatu digniora sibi cognita redderet; & tandem Halam, vt audiret magnum *Strykium* ad iuris scientiam pariter atque vsum in foro viam monstrantem. Inde per multas nobiles vrbes Viennam an. 1699 se contulit, quae Germaniae princeps vrbs cum multa ipsum docuisset, Italiam ingressus est, atque Venetiae aliisque in vrbibus celebrioribus notatu digniora non sine magno fructu oculis ac mente percepit. Romae quoque anno sequenti solemnia Iubilaei Saecularis studiose contemplatus est. Nec minori industria ac prudentia Gallicam peregrinationem suscepit, &, per sex fere menses Lutetiae commoratus, ad finem perduxit. Reuersus deinde Argentoratum, magni *Schilteri* scholas *iuris Canonici* docendi causa apertas non neglexit. Hoc labore finito Wetzlariam abiit, vbi tum in Iudicio Camerae Imperialis sententiae publicabantur, quas cognoscere e re sua esse existimabat. Anno 1701 per Casselium & Hannoueram in patriam redibat, quam interiectis aliquot hebdomadibus iterum relinquebat, inuisebatque patruum FRIDER. BALEMANNVM, iam laudatum, penes quem commodissime poterat causis in foro agendis operam nauare, quoniam is acta, vt ICti vocant, iudicii prouincialis Ieuerensis dirigebat distri-

diſtribuebatque. Belgium quoque hac occaſione perluſtrare non intermittebat, atque in itinere domum conuerſo an. 1701 *Diſputationem Iuridicam inauguralem*, quam ipſe elaborauit, *de Iure Interpellationis*, vom Anmahnungs-Recht pro Licentia ſummos in vtroque iure honores conſequendi Groningae, praemiſſo conſueto examine, egregie defendit. Vergente ad finem anno 1701 dulcisſimae patriae redditus & a. 1702 d. 28 Ian. a Magnifico Senatu Secretarius declaratus. Huic muneri ita per 15 annos praefuit, vt fide ac prudentia ſemper ſe probaret, ſiue in hac ciuitate expediret negotia, ſiue legationibus extra eam operam ſuam accommodaret. Quibus rebus factum eſt, vt ante biennium illuſtris Senatus membrum euaderet, ſplendida dignitate Senatoria ipſi collata. Cum per ſpatium ſemeſtre eam ornaſſet, difficultatum commercii Lubecenſis tollendarum cauſa ad potentisſimum Daniae Regem mittebatur vna cum Viro nobilisſimo, generoſo prudentisſimoque, Dn. HENRICO a BRöMSEN, ſupra iam honoris cauſa nominato. Hunc vti Deus cum Noſtro coniunxit, ita iubeat ambos HENRICOS res ſuas proſperrime ſemper gerere!

HIERONYMVS BILDERBECK.

Hunc Senatorem Lubecenſem grauisſimum, qui natus eſt an. 1600, Senator electus an. 1646. d. 21 April., mortuus an. 1664. d. 15 Sept., fuiſſe olim ſcholae noſtrae alumnum, inde forſan aliquis conceret, quod in carmine Dan. Lippii memoriae

riae eius & honori consecrato legitur, eum fuisse illius hospitem. Certiora indicia non habeo. Etsi vero ipse non negem, vocabulum hospitis hic esse valde ambiguum, non possum tamen non viri de Republica pariter ac Athenaeo nostro praeclarissime meriti memoriam in Commentario scholae causa conscripto retinere atque hic repetere Bangerti elegans carmen, quo Nostrum defunctum sic alloquitur:

Vt ciuium solennior per compita
Audita gratulatio est,
Et Numini facta est frequens per omnia
Tunc templa supplicatio,
Quando ordini patriae Patrum concordibus
Allectus es suffragiis:
Sic omnium moeror replet nunc pectora,
Cum te resectum falcibus
Mortis, Vir Ample, intelligunt, & vsibus
Suis ademtum cum vident,
Verrunt humum in squalore & atro syrmate,
Lugentque damna publica.
Nec nostra se nunc continet miserum sonans
Erato, Patronum quin fleat.
Tu literas bonas eras doctus probe
Latii & disertae Graeciae.
Hinc nostra saepe ad publica & frequentia
Missus fuisti Examina.
Praestantibus tum dotibus pectus tuum
Coeleste Numen auxerat.
Versatus in scholis diu tu regiis
Inter viros doctissimos,

Scien-

Scientiam legum ſacrarum ampliſſimam
Feliciter perceperas.
Et exterarum gentium cognoueras
Statuta, conſuetudines.
Hinc noueras prauum a bono discernere,
Suum cuique & reddere.
Senator inde tu bonus, iudex bonus,
Qui diceret ſententiam
Rectam in Senatu: qui malas componeret
Lites, Erynnis filias.
Ex inde laus viuax tibi ſurget, Theon,
Innoxiis etiam nocens,
Nullus nocere nomini, famae aut tuae
Valebit vnquam poſtumae.

IOACHIMVS LOTHARIVS CARSTENS.

Annus agebatur milleſimus ſexcenteſimus ſeptuageſimus & ſeptimus, cum chara Lubeca Eum aſpiceret in lucem productum. Parentem gratiſſima memoria celebrat IOACHIMVM FRIDERICVM CARSTENS, I. V. L. Senatorem & Camerarium Lubecenſem multis magnisque meritis celeberrimum, cuius vita legi poteſt in Nou. Lit. Mar. Balth. 1701. p. 160, vbi fit etiam mentio ipſius Diſp. Inaug. Roſtoch. 1657 habit. *de Decretis in Contractibus Minorum.* Conf. eius Memoria a B. Suantenio litteris conſignata. Lubec. 1701. fol.; auum IOACHIMVM CARSTENS, V. I. Doctorem, primum Sereniſſ. Ducis Lauenburgo-Saxonis Pro-Cancellarium, deinde Lubecenſis Reipublicae Syndicum

cum primarium & Praesidem Consistorii praeclarissime meritum, an. 1673 defunctum, ICtum tam ob sinceram pietatem (n), quam ob iuris maximam cognitionem (o), immortalem: proa-

Q vum

(n) Hanc satis superque euincit intensissimus amor erga sacrum codicem, quem saepissime non sine summa voluptate domi, in templo, in itineribus maxima cum attentione legit relegitque; promeritus omnino insignem laudem, qua summe reuerend. Praesul noster Goetzius in Praefat. Bibl. Lubec. eum affecit. Inter alia de eo scribit: *Er hat dieses für seine gröste Freude gehalten, daß er in der heiligen Schrifft lesen, und dieselbe zu seinen Nutzen anwenden sollen, wie ich denn in seiner Hand-Bibel, derer er sich gebraucht, nicht ohne Freuden gesehen, daß er zu unterschiedenen mahlen, theils insonderheit, ein und anderes Biblisches Buch, theils auch insgemein alle Bücher der heiligen Schrifft, durchgelesen, erbauliche Anmerckungen darüber gemacht, die er aus denen Predigten, oder guten Büchern Christlicher Theologen, gefasset, und sich damit in seinem Glauben zu stärcken gesuchet - - Er hat von Jahren zu Jahren angemercket, wenn er die Bibel zu lesen angefangen, und zu Ende gebracht, wie er denn bis an.* 1670 *in die* 34 *mahl solche durchgelesen.* Iure igitur accensendus est diligentissimis Bibliorum lectoribus, quorum aliquos adduxit Venerand. Wolfius in Nott. ad Histor. Lexicor. Hebraic. pag. 116: plures poterunt alia occasione, si diuina permiserit voluntas, laudari.

(o) Demonstro hanc etiam ex variis scriptis politicis & iuridicis, quorum auctor est. Scilicet

De Formis Rerum publicarum.

De Pignoribus & Hypothecis.

De Publicis Iudiciis.

De Prioritate Creditorum.

De Thesauris.

De

vum autem NICOLAVM CARSTENS, gravissimum quondam Consulem in Marchia veteri Soltquellensem. Horum praestantissimorum virorum virtute non potuit non incitari ad praeclara quaeuis tentanda atque perficienda. Vt vero aptus euaderet, sapienti admodum consilio publicam nostram bonarum mentium officinam primum ingrediebatur, inque ea non sine ingenti fructu viris ad formandos iuuenes aptissimis *Franckio*, *Pagendarmio*, *Brüggio*, *Lipenio* & in primis *Hinckelmanno* (cuius praelectionibus publicis, priuatis ac priuatissimis diligentissime interfuit) discendi causa se adiungebat. Deinceps ab an. 1685 vsque ad an. 1690 Academicos doctores Rostochienses, Regiomontanos & Francofurtanos elegit duces, quorum auxilio ad maiorem eruditonem, praesertim iuridicam, perueniret. Neque caruit res felici successu. Etenim horum ope Academica studia ad finem ex animi sententia perduxit. Anno subsequenti 1691 constitutus Iudex militaris (Auditorem alias vocant) copiarum Würtembergensium, per Germaniam profectus est in Italiam, & quae ad amplificandas

De Effectibus & Amissione Feudorum, totoque processu Feudali.
De Errore Calculi.
De Aetate Hominis.
De Actionibus.
Notitiam horum scriptorum debeo Programmati Nottelmanniano Lubec. 1673. fol., quo Vita Carstenii laudatissima describitur.

das litteras pariter ac prudentiam ciuilem ſpectant, ſedulo notare non intermiſit. Cum vero patriae totum ſe conſecraſſet, in eadem an. 1694 Secretarii, an. 1701 Protonotarii & an. 1715 Senatoris munia valde honorifica ſuſcepit, atque patriae (quae, faxit Numen! per multos porro annos eius opera fruatur) commodum omni tempore atque occaſione obſeruauit, dignus habitus, qui ſecretiorum negotiorum expediendorum cauſa ad potentisſimorum ſeptentrionis Regum Imperatores mitteretur atque Ruſſorum Caeſari Lubeca abeunti comes vsque ad Trauae oſtium adderetur. Felicitatis ſuae haud exiguam partem eſſe exiſtimat optimam ſpem, quam de ſe facit filius IOANNES FRIDERICVS CARSTENS, qui beneficio Athenaei noſtri, Academiarum atque itinerum praeclaram ſibi acquiſiuit doctrinam, cuius luculentum ſpecimen dedit conſcripta ac praeſide *Io. Georg. Fichtnero* defenſa *Diſſertatione Academica de Iure Peregrinorum.* Altdorf. 1717.

THOMAS FRIDERICVS CARSTENS.

Frater IOACHIMI LOTHARII CARSTENS, modo honoris cauſa nominati, cum quo idem fere ſcholaſticum pariter ac Academicum curriculum confecit. Iſthaec tantum addenda, quod, praeter adductos doctores publicos Lubecenſes, etiam in quinta Scholae noſtrae claſſe *Ioach. Schevium*, & in quarta *Dan.*

pium praeceptores habuerit: atque Francofurti auſpiciis *Petri Schultzii*, I. V. D. & Prof. publ. ordin. aliquot *Poſitiones Schnobelianas* publice diſputando excuſſerit. Solida eruditione inſtructus & ad quasuis praeclaras res perficiendas idoneus factus innotuit Comiti Bielkio, qui eum primo Iudicem militarem eſſe voluit, poſtea ob egregias, quas in illo deprehendit, virtutes ad vitae ſtudiorumque gubernationem neceſſarias, filiis ſuis ephorum praefecit. Vid. Nou. Lit. Mar. Balth. 1702. p. 57. Hos Comites cum per Germaniam, Galliam, & aliquot Belgii, in primis Foederati, prouincias non ſine ſingulari, qua iam tum pollebat, prudentia duxiſſet, patriae coepit vtilisſime inſeruire, an. 1702 d. 28 Ian. Reipublicae noſtrae Secretarius electus. Fides ipſius, induſtria & rerum gerendarum peritia ſemper apprime placuit patriae Patribus, qui poſtea non ſolum Protonotarii, ſed etiam Syndici Legationes obeuntis munia ei commiſerunt. Saepe autem fuit miſſus Legatus, in patriam reuerſus feliciter rebus expeditis. Praecipuae Legationes ſunt Danica, Berolinenſis, Vltraiectina & Antuerpienſis. Reliquas taceo. Iſtud autem non poſſum ſilentio inuoluere, quod Noſter dudum elaborauerit & plane abſoluerit *Diſputationem* (perhonorificis teſtimoniis ab eius lectoribus maxime intelligentibus Hieron. a Dorne, Conſule, & Georg. Radovio, Syndico, ornatam) *Inauguralem de Iure maioris partis Votorum & Calculo Mineruae.* Quod ſupereſt, votum maioris partis Ciuium (& forſan

ſan omnium) meum quoque facio: cedant Viro meritisſimo & non ſolum Themidos, verum etiam Mineruae ſacris peregregie initiato omnia ex voto!

GEORGIVS HENRICVS GERCKEN.

Filius illuſtris quondam & magnifici Conſulis Lubecenſis SEBASTIANI GERCKEN, qui, praeter Ciuium animos, honorum, gloriae &meritorum teſtem poſt fata accepit hanc in Epitaphio ipſius, quod Catharinianum templum condecorat, inſcriptionem: *Chriſto mortis domitori ſacrum. Vir Magnificus, Dominus SEBASTIANVS GERCKEN, I. V. D. natus Magdeb. A. 1656. d. 16. Iun. in liberae Imp. Reip. Lubecenſis Senatum coopt. A. 1695. d. 20 Febr. Faſces Conſulares obtinuit A. 1706. d. 20. Febr. quos inter de mortalitate triumphum egit A. 1710. d. 8 Febr. expletis vitae annis 53. 7 menſibus & 23 diebus, lugentisſima vxore, Matrona generoſisſima, CATHARINA ELISABETHA a DASSEL, cum V. liberis ſuperſtite, hic cineres & meritorum famam poſteris voluit ſacrari.* Conf. quae de vita huius Conſulis B. Enochus Suantenius in Progr. Funebr. memoriae reliquit. Ex praeclarisſima Patris indole hauſiſſe Filium, indicium non fallax fuit Oratio, in Athenaeo noſtro publico (cuius coetibus omnibus, ſolo excepto infimo, interfuit) an. 1705. d. 23 Iul. applaudentibus cunctis auditoribus, pro concione ſplendidisſima dicta, qua *Luctuoſam inuictisſimi atque glorioſisſimi*

Imperatoris LEOPOLDI I. Absentiam, & *sereniorem potentissimi augustissimique Caesaris IOSEPHI I. Praesentiam* demisse obseruauit. Ad Academica studia cum fructu percipienda aptus, Kilonium profectus est, ibidemque sacras, humaniores, philosophicas, iuridicas disciplinas pertractavit. Bene coeptam telam pertexuit Ienae, & tandem Lipsiae cursum Academicum absoluit. Probe autem intelligens vtilitatem itinerum, iis aliquot anos impendere decreuit. Profectus igitur perBelgium inAngliam,vbi solemnia potentissimi Regis GEORGII coronati conspicatus est,in amicitiam celeberrimorum virorum *Robinsoni, Sloani, Woodwardi, Chamberlaynii, Whistoni, Allixii, Massoni, Missonii, Hudsoni*, & plurium penetrauit, Bodleianae Academiae codicibus MSS. per semestre spatium vsus est, & aliis libris rarissimis, vtilissimisque, inter quos sunt, MSS. in nostris terris fere aequiparanda, *Acta Publica Anglicana Thomae Rymeri*, e quibus ea, quae ad foedus Hanseaticum pertinent, potest reddere. Simili ratione in Gallia commodis suis tam literariis, quae orbis eruditi lumina *Bignonius, Montfauconius, Harduinus, Pinius, Baudelotius*, alii, amplificarunt, quam politicis prospexit. Eadem fuit causa, cur Vindobonae, Wetzlariae & in aliis illustribus Germaniae locis aliquandiu commoraretur, atque iterum adiret Belgium, eius viros eruditissimos *Basnagium, Clericum, Crenium, Noodtium, Vitriarium* & alios salutaret, & in primis Hagae Comitum rerum ciuilium rationes obseruaret. Locupletatus hac ratio-

ratione iis rebus, quae Reipublicae possunt emolumento esse, patriaeque redditus, anno superiori Secretarius fuit declaratus.

IOANNES HENRICHSEN.

Natus est Lubecae an. 1590 d. 11 Maii, atque salutari patris iussu Scholam publicam intrauit, *Videbat*, inquit Bangertus in Progr. Funebr. p. B. sq, *pater inesse puero ἐυφυΐαν ad litteras capiendas. Ne ergo dotes naturae puero concessas negligeret, mature illum in scholam ciuitatis huius publicam deduxit, quae tunc vere erat* Ἑλικὼν@ πιερικὸς δόμ@. *Nam regendae isti tunc praefectus erat* Otho Gualtperius, *SS. Theologiae Doctor, qui antea Hebraeam & Graecam linguam in Marpurgensi Academia publice docuerat, & postea Lubecam ad Rectoratum vocatus, statione illa deserta, magna cum laude bonas litteras, Philosophiam & Christianae doctrinae capita discenti iuuentuti, quae illis temporibus diutius in infericribus perdurabat scholis, inculcabat. Conrector illi adiunctus erat M.* Ioachimus Dreierus, *vt ceteras artes, quae ad humanitatem pertinent, probe callens, sic Graecam linguam ita edoctus, vt & recte eam doceret, & quoties vsus postulabat, expedite illa loqueretur, atque carmina in illa docta pangeret, quorum multa ad nostras peruenere manus. His magistris, felicissimis ingeniorum formatoribus, prima fecit Defunctus noster tyrocinia, eaque suae* ἐυμαθίας *dedit specimina, vt docentium amorem facile sibi compararet. - - - Perrexit in decurrendo studiorum stadio, fretus Dei ope & Praeceptorum, qui singulari ipsum complectebantur beneuolentia, cohortatione, eximiaque in promo-*

vendis studiis ipsius promtitudine, vt, antequam ludum patrium relinqueret, iam ita in Latinis Graecisque profecisset, vt in vtraque lingua & orationes scriberet & carmina non sine laude pangeret. Neque enim ad superiores scholas commigrare volebat, nisi prius illarum rerum cognitionem probe percepisset, sine quibus infeliciter admodum superiorum disciplinarum tentantur adyta. Imitatione dignum igitur commilitonibus suis praebuit exemplum. Vti vero humanitatis in Gymnasio nostro, ita deinceps iurisprudentiae in Academiis Lipsiensi atque Ienensi fuit studiosissimus, eamque sibi collegit iuridicae eruditionis copiam, vt non solum causas in iudicio tam inferiori, quam superiori posset feliciter agere, verum etiam an. 1647 m. Mart. a Magnifico Senatu in Secretariorum numerum cooptatus ad mortem vsque, qua mortalium oculis an. 1664 ereptus est, res fidei ipsius commissas optime administraret. Inter memoranda vitae eius occurrit πολυτεκνία, siquidem, Bangerto teste p. C 2, pater viginti & duorum liberorum euasit. Annumerandus igitur est iis eruditis, quos ante biennium recensuit Io. Paul. Gumprechtus, Lycei Laub. Rector, in Schediasmate de Πολυτεκνία Eruditorum, seu de Copiosa Literatorum Sobole. Lips. 1717. 4.

GOTHARDVS ARNOLDVS ISSELHORST.

Patre natus *Arnoldo Isselhorst*, Reip. Lubec. Protonotario, cuius vitam & laudes in Progr. Funebr.

nebr. celebrauit Suantenius. Idem in Progr. *de Hermathena* laudauit noſtrum *de Symbolo potentisſimi Regis* IOSEPHI: *Amore & Timore* in Athenaeo noſtro pro concione ſpectatisſimorum virorum an. 1701. d. 17 Mart. dicturum. Poſt abſoluta ſtudia Academica & itinera Germanicum, Gallicum & Belgicum, quae prudentiae ac litterarum fuerunt incrementa, per aliquod tempus Excellentiſſ. Conſiliario Intimo Danico *de* IESSEN a ſecretis fuit, vsque dum an. 1715. d. 10. Iul. vocaretur in patriam, vt idem munus, ſemper bene geſtum, adminiſtraret.

ALEXANDER a LVNEBVRG.

Originem ducit ex generoſis familiis Luneburgis & Wedemhofiis, de Republica Lubecenſi meritisſimis, hic eiusdem Reipublicae Senator & Camerarius primus, qui Eckhorſt, Mori & Krâmpelsdorff haereditario iure poſſedit. Lubecae intuitus eſt primam lucem an. 1643, ibidemque in publico Athenaeo didicit ita, vt pietate, diligentia, modeſtia, veris ingenui diſcipuli virtutibus, praeceptoribus ſuis nullo non tempore ſe probaret. Continuauit ſtudia ſtrenue in Gieſſenſi Academia: imo Galliam, Angliam & alias regiones adiit, vt multa videret, multa audiret, & hac ratione eruditioni conciliaret incrementum, rerumque gerendarum fieret peritus. Fructus induſtriae largos expertus eſt an. 1703, d. 20 Febr., quo die PP. CC. ſuffragiis obtinuit ſplendidum Senatoris munus, cui ea praefuit religione, vt cum ipſius morte,

quae contigit an. 1715. d. 19 Iun. memoria insignium meritorum eius non sit mortua, eademque non solum ab auctore Vitae eius vernaculo sermone conscriptae, sed ab aliis quoque praedicentur.

HENRICVS MICHAELIS.

Celeberrimum hunc ICtum, natum an. 1627 patre HENRICO MICHAELIS, I. V. D. & Sereniss. Principis IOANNIS, Episcopi Lubecensis & Holsatiae Ducis Consiliario, Lubeca ciuibus suis, quorum fama longe lateque per orbem est vagata, accenset. Gloriae aliquam partem sibi iure vindicat Athenaeum nostrum, in quo eum fuisse liberali doctrina perpolitum, ex his Hinckelmanni verbis in Progr. Funebr. Lubec. 1678. f. apparet: *Postea, cum & aetatis id ratio ferre videretur & ardens in nostro ingenium labores sua sponte quaereret, publicae quoque culturae ipsum ad annum vsque aetatis decimum & sextum commisit parens; qua felicissime adiutus & semet ipsum superans, dignus omnibus videbatur, qui grauiores Academiae exercitationes accederet.* Etsi vero idoneus Academicorum doctorum auditor hic euasisset, parens tamen, varietate delectatus, ad illustre, quod Gedani floret, Gymnasium eum ablegavit. Reliquas vitae & honorum ipsius rationes Hinckelmannus verbis sequentibus descripsit: „Academias adiit, ingenio non minus praeclaro, „quam solidae cuiusdam eruditionis fundamen„tis, instructus. In his tempora sua ita partie„batur, vt biennium vnicuique tribueret: Re-

„giomontanae primum, poſtea Gryphiswal-
„denſi & Roſtochienſi. Spectabatur in his lo-
„cis, tanquam magno in theatro, viri induſtria,
„animi vigor & incredibiles motus, vt, cum ſu-
„peraret expectationem omnium, quiuis ipſum
„tanquam magnum hominem obſeruaret. Prae-
„cipue vero redeuntem Gryphiswaldenſis Aca-
„demia, cum honeſtum ſuum de impetrando
„ſummo, inter ſui ordinis homines, gradu de-
„ſiderium expoſuiſſet, non tantum lubentisſi-
„me recepit, & de *Mora* (quam *ſubtilisſimam, gra-*
„*visſimam & intricatisſimam materiam* in publico
„Programmate Praeſes Volſchovius vocat) di-
„ſputantem luculento ornauit elogio: ſed & in
„locum Wismariam auocati ICti eminentis D.
„Dauidis Mevii ſubſtituit. Huic grauisſimo
„muneri, doctrina & conſiliis publicis, per
„annos 4 praefuit maximo cum diſcentium emo-
„lumento & totius praeterea Academiae fama.
„Cuius argumentum inſigne erat noua, quae
„ad Straleſundenſis Reipublicae Syndicatum
„ipſi obtigerat vocatio, cui & paruit & dignis-
„ſimum ſe tanto honore per XI annos, omnium
„cum applauſu, probauit. Tandem ad ea per-
„ventum eſt tempora, in quibus de inſtituenda
„noua & vicina Kilonienſi Academia magnani-
„mus Cimbrorum heros conſilia ceperat: cum-
„que de aduocandis in nobile hoc optimarum
„artium emporium viris in quauis doctrina ma-
„ximis ſollicitus eſſet, inter Iuris Profeſſores lo-
„cum ſecundum honorificis litteris noſtro Mi-
„chaelis obtulit. Hanc nouam prouinciam ad-
mi-

„mirabili sua eruditione ex tanto rerum vsu non „parum huc vsque aucta, inclytam reddidit „quidem, sed (vti fieri necesse erat a viro, in quo „fortuna cum virtute certabat) per tempus fere „exiguum. Vix dum enim alterum annum „Kilonii impleuerat, quando post longiorem, „quam exteris inuita quasi concesserat, viri vsu„ram suum ciuem Lubeca repetiit & ad splendi„dam Syndici primarii dignitatem euexit. Non „puto vllum expectare, vt, quanta cum pru„dentia, rerum ciuilium peritia & animi magni„tudine consilia salubria suppeditarit, commu„nem libertatem & salutem defenderit, Lega„tiones, res maximas gesserit, studiosius ex„plicem. Adsunt summorum meritorum testes „grauissimi, viri huius vrbis principes: adsunt „ingenii foetus haud vulgares. Haec Hinckelmannus, qui annotauit etiam, quod an. 1678. d. 13 Ian. hoc lumen sit extinctum. Post mortem vir plane eximius multos inuenit praecones & in his etiam Dauidem Brüggium, qui hanc fecit inscriptionem:

M. S.

Heic conditus est

HENRICVS MICHAELSEN,

Reip. Lubec. Synd. Primar.

Consistorii Praeses.

Aetatis nostrae Papinianus

Bonorum spes & asylum.

Malorum terror & scopulus.

Pietat. & iustitiae fugient. Stator.

Vrbis & orbis oraculum.

Ad

Ad
Caesarem, Reges, Principes
Legatus
Qui, quod multos docuit viam ad iustitiam,
Iam stellae instar radiat super sidera,
Vbi Sol fulget Iustitiae,
Quem in terris, ceu Heliotrop. semper secutus,
Noua iam coeli stellula.
Vt omnes impleret leges
Legem mortis ineuitab. noluit violare.
Mors eius tenet exuuias
Die repetundarum mox reddendas.

HIC IACET OS POPVLI, SOPHIAE THEMIDOSQVE SACERDOS,
HINC SOPHIE AD TVMVLVM CONGEMIT ATQVE THEMIS.

Scripta eius, quae a ICtis in magno habentur pretio, sunt

Responsorum, siue Deductorum Iuris, Kiloniensium aliorumque selectorum, Liber. Lubec. 1673. 4. Haec Responsa, annotante Hinckelmanno l. c., in eam admirationem rapere potuerunt excellentem quendam ICtum, vt cum Meviano opere comparare non dubitauerit.

Tractatus Iuridicus de Inquisitione Criminum, in quo processus inquisitorius, eiusque occasione natura iurisdictionis criminalis antiquae & hodiernae, & Sacrae Caes. Maiestatis aliorumque summorum orbis Principum supra omnem Iurisdictionem & Inquisitionem humanam supereminentia ostenditur: in primis vero natura indiciorum ad inquisitionem spe-

ſpecialem, capturam, torturam & condemnationem iure requiſitorum & ſufficientium ex genuinis Iurisprudentiae principiis noua methodo & accuratiori opera breuiter explicatur. Lubec. 1676. 4. pagg. 715.

FRIDERICVS PLÖNNIES.

Lubecenſem ciuitatem accepit patriam, & ſcholam publicam ſtudiorum nutricem. Docet hoc Suantenius in Memor., vbi natiuitatem eius anno 1607 aſſignat. Commoratus deinde trium annorum ſpatio in Altdorfin. Academia & porro Baſileae litteris, in quas magna induſtria incubuit, ditatus Profeſſorum omnium iudicio dignus fuit habitus, qui V. I. Doctor crearetur. Et parum aberat, quin his honoribus, ad quos elaborata iam inaugurali Diſſertatione facillime potuiſſet peruenire, inſignitus fuiſſet, niſi ab artis ſtudio ad Martis caſtra fuiſſet pertractus, *Enim uero*, ſcribit Suantenius l. c. *ſingulari militiae pariter ac eruditionis ſtudio tenebatur, vt laudabili Nobilium maiorum exemplo Marte & arte magis atque magis inclareſceret. Hinc in bello magno atque difficili & in multa varietate terra marique per Germaniam verſato ipſe quoque interfuit, interque volones ſtrenuam armaturae & apparatui machinarum tormentorumque per decennium nauauit operam, vno atque altero militaris eminentiae honore inſignis.* Sed a militia ad litteras rediit, priſtino earum amore incenſus. Argentorati ideo integros duos annos &, in Galliam profectus, Burgis etiam atque Lutetiae Pariſiorum aliquod tempus iis conſe-

consecrauit, Emolumentum inde redundauit ad patriam, cuius an. 1654 Senator fuit declaratus, Nam *quantus*, pergit laudatus Suantenius, *isthoc in munere perarduo iustitiae cultor fuerit, qua fide, dexteritate & solertia variis commissi officii partibus perfunctus sit in iis subselliis, in quibus ornamenta ac lumina Reipublicae conspiciuntur, nouit omnium optime honestissima ciuitas, meritorum Plönsianorum post fata etiamnum memor, in animis atque mentibus gratissimis omnia ornamenta honoris, monumenta gloriae, Plönsianae laudis insignia conditura & collocatura*, Brüggius in honorem eius scripsit:

Ite
Quibus commodum est,
Ite exequias
Viro praenobili ac strenuo
FRIDERICO PLÖNNIES,
Militi Christiano
Et
Senatori Lubecens.
Hic
Ab ineunte adolescentia
Iuit militatum
Ad
Diuersos Praetores ac Imperatores,
Sub quib. meruit stipendia,
Vt gloriam a maioribus acceptam
Illustraret & augeret.
Tandem militiae pertaesus
In patriam reuersus
Honorib. inseruire coepit;
Quorum gradus emensus omnes,

In

In supremo vitam placide reddidit.
E feretro superstites sic alloqui videtur Natos:
Discite, Filioli, virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis.
Hic quiesco in pace altissima exspectans
Supremi Iudicis,
Christi Patris & Fratris sententiam,
Qui pacem sanguine suo acquisiuit;
Et sic: vere FRIDERICVS.

Effigiem huius Senatoris bene meriti videre licet in templo Mariano & simul hanc inscriptionem:

In piam memoriam viri nobilissimi & amplissimi, Domini FRIDERICI PLÖNNIES, Reipublicae patriae Lubecensis Senatoris & Camerarii per triginta & duos annos grauissimi, nati anno MDCVII. denati MDCLXXXVI. die XXVII Septembris.

IOANNES PÖPPINGIVS.

Edidit Seb. Meierus, Rector, *Programma in exequiis Ioan. Pöppingii, ICti, Sacr. Caesar. Maiest. a Consiliis & inclytae Reip. Lubecensis Senatoris grauissimi, deque tota ciuitate optime meriti* Lubec. 1657. 4, in quo copiose de hoc Viro agitur. Nos quaedam seligemus. Postea quam Lubecae an. 1608 editus est in lucem atque *id aetatis*, sunt verba Meieri p. B, *attigit, vt publicae scholae limina calefacere posset, clarissimo & excellentissimo viro Iohanni*

hanni Kirchmanno, Rectori huius Scholae celeberrimo, eiusque fidelissimis Collegis in disciplinam traditus, eorumque fideli in humanitatis studio informatione tam diu vsus est, donec cum laude patriae scholae valedicere magnoque cum fructu coelo se Academico committere posset. Imo vero Lyceum nostrum deinceps quoque ei adeo placuit, vt tres filios suos, *Ioannem Fridericum* (de quo suo loco in Sect. IV. ICtor. quaedam afferentur), *Nicolaum Henricum* & *Ottonem Christianum* in eodem erudiri voluerit. Ipse cum Regiomonti ac Groningae Themidos sacra haud obiter pertractasset, & ex itineribus in Belgium ac Galliam susceptis multum commodi percepisset, an. 1646 Magnificus patriae Reipublicae Senatus eum Secretarium &, sex annis interiectis, Senatorem elegit. De negotiis, & in primis legationibus Oldenburgensi, Belgica, Osnabrugensi & Monasteriensi, (quas tempore pacis, ibi factae, Reipublicae nostrae commoda obseruauit), Ratisbonensi ad Comitia, Suecica & tandem Viennensi ad FERDINANDVM III Imperatorem, qui eum consiliorum suorum arbitris clementissime adscripsit, honorifica valde verba fecit Meierus, qui insignem eloquentiam, iudicii dexteritatem, singularem in consiliis dandis prudentiam, in controversiis dirimendis felicitatem & nunquam satis praedicandam erga sacrum ordinem ac publicam scholam animi propensionem in eo demiratur, doletque, quod non ad summam peruenerit aetatem. Moriebatur enim an. 1657, d. 12 Octobr., cum nouem & quadraginta an-

nos, nec non ſeptem menſes compleuiſſet. Tanti viri obliuio Lubecam nondum cepit, quod probo etiam hac, quae Epitaphio eius in templo Mariano addita eſt, inſcriptione.

D. O. S. Nobiliſſ. Ampliſſ. & Prudentiſſ. viri, Dn. IOANNIS PÖPPINGII, Reip. Lubecenſis primum Secretarii, deinde Senatoris, Legatique inter alia ad Romanum Imp. Ferdinandum III clarisſimi, meritisſimi, eiusdem Conſiliarii honoratiſſ. poſtquam anno reparatae ſalutis humanae cIↃIↃcLVII. IV Id. Octob. aetatis 50. pie ac deuote in Chriſto animam exhalaſſet, oſſa hic in proxumo tumulo beatam corporis animaeque coniunctionem praeſtolantur. Tu quisquis es, qui huc tranſis, requiem ſepultis osſibus ne inuideto, & ſimul hoc cogita, humani nihil non caducum. Marito ac parenti opt. bene merito monum. hoc poſuerunt moeſt. . . . .

FRANCISCVS BERNHARDVS RODDE.

Excellentisſima in Lubecenſem Rempublicam merita Roddiana in praeced. Sect. I quodammodo praedicare iam tentaui. Addo quod per hunc Magnifici Conſulis, MATTHAEI RODDII, Filium incrementa ceperint. Ille enim cum in noſtro Athenaeo ducibus tum aliis, tum

rum in primis Dau. Brüggio, cui omnium maxime adhaesit, egregie didicisset & deinde honestissimum Ciuium ordinem condecorasset, tandem, creatus an. 1695 Senator, egregiam occasionem & litteris & prudentia & rerum in ciuitate, quae commerciis florentibus magnam felicitatis partem adscribit, gerendarum peritia vtendi adeptus est. Patria vidit hinc commoda eximia emanare. Etenim licet per exiguum modo tempus splendidissimo eorum consessui interfuerit, qui Rempublicam regunt, vtilissimam tamen nauauit operam patriae, memoriam Senatoris meritissimi insigni hac inscriptione, quae ipsius Epitaphio in Mariana aede decus conciliat, conseruanti:

Memoriae FRANCISCI BERNHARDI RODDII, Senatorii ordinis viri, de patria optime meriti, virtutibus istum honoris gradum decentibus, pietate, iustitia, integritate & comitate maxime conspicui, nati an. MDCXLIV. VIII Decemb. Patribus patriae adscripti an. MDCXCV. XX Febr. denati an. MDCC. XXVI Decemb. monumentum hoc vidua & heredes p. p.

IOANNES RODDE.

Nactus est parentes FRANCISCVM BERNHARDVM RODDE, Ciuem mercandi scientia conspicuum, & sequioris sexus decus ANNAM MAGDALENAM, filiam Viri Magnifici &

illuſtris IOANNIS SIRICII, Conſulis Lubecenſis praeclarisſime meriti, cuius laudes aliquas complectitur haec Epitaphii eius, quód, vna cum aliis, templum Marianum elegans reddit, inſcriptio: *Viro Magnifico, IOHANNI SIRICIO, ICto, Conſuli de patria optime merito, qui natus A. 1630. d. 1 Iulii, in Senatum cooptatus A. 1669, d. 20 Martii, Conſul electus A. 1687. d. 21 Febr. mortuus A. 1696. d. 4 Maii, variis Legationibus inclytus, plurima eximiarum virtutum dedit documenta, monumentum hoc vidua conſecrauit.* Cum in plerisque Athenaei noſtri claſſibus ſedulo didiciſſet, ac habita Oratione publica *de Methodo Studendi & inprimis excolendi Iura* eidem decenti modo vale dixiſſet, Helmeſtadii, Tubingae & Ienae ſtudiorum tam philoſophicorum, quam iuridicorum ſtrenuus fuit cultor, & honoribus (quos ſibi gratulantes habuit viros celeberrimos Io. Franc. Buddeum, Chriſtian. Wilduogelium, Burc. Gotth. Struuium, ac alios) I. V. Licentiati poſt elaboratam & eximie defenſam *Diſputationem Inauguralem de Legatis ad pias Cauſas* auctus rediit in patriam, cuius CC. PP. an 1717 Secretarii munia, laudabiliter adhuc adminiſtrata, ipſi detulerunt.

HENRICVS SAFFIVS.

Suſceptus eſt Lubecae an. 1599, & *tenellus puer*, ſunt verba Bangerti in Progr. funeb. p. 1, *in ludum patrium a parentibus miſſus eſt, quem tunc regebat Otto Gualtperius, vir egregia eruditione.* Anno 1619 Lipſienſem Academiam inuiſit, & an. 1622 Ienenſem, vbi ad iuris praecepta haurienda animum

mum quidem adiecit, ita tamen, vt humanitatis ſtudia non negligeret. *Nec vero hoc tempore*, inquit Bangertus p. 3, *liberalium artium ſtudia omiſit. In primis vero hiſtoriam gentium & ſeculorum omnium a condito mundo, cuius initia doctore* Ioanne Roſino *antea hauſerat, indefeſſa cum tractabat. Huic antiquitatis indagatori ſolertiſſimo ſolidam ſemper vir optimus laudem tribuebat. Et memini, cum referret, Roſinum dixiſſe ſibi, ea, quae* Thomas Dempſterus *ad ſuas Antiquitates Romanas addidiſſet, quanquam docta ſatis, ſibi minus probari. Si enim ſibi animus fuiſſet, eo modo iſtud argumentum tractare, non defuiſſe ſibi ad eam rem facultatem & rerum ſcientiam. Verum aliud ſe in opere illo conſcribendo ſecutum eſſe conſilium.* Anno 1623 abiit Roſtochium, vbi *de Succesſionibus ab inteſtato* publice diſputauit. Annis ſequentibus in patria cauſarum egit patronum. *In his tuendis*, teſtatur Bangertus p. 4, *ita clientibus ſuam probauit induſtriam & fidem, vt iam nullam cauſam ita grauem putarent, quam non illius committere auderent fidei. Erant, quorum in Spirenſi Iudicio magni momenti cauſae agitabantur, ſed fideli egebant patrono. Horum igitur precibus & promisſis adductus Saſſius eſt, vt Spiram proficiſceretur. Menſibus tribus ibi exactis, re bene geſta lares patrios repetiit.* Quae eius Senatoria dignitate ornati actiones, quae merita, qui vitae exitus, ex ſequentibus Bangerti verbis, quae tanquam fide dignum teſtimonium adduco, apparebit: *Ea iam erat integritatis, prudentiae, rerum experientiae & grauitatis fama Saſſius,*

vt patriae regendae adhiberi recte posse iudicaretur. Quare anno 1644 17 Febr. a patriae Patribus in Senatorum numerum cooptatus est, vt, quam hactenus scientiam & rerum recte gerendarum vsum sibi comparasset, ad patriam ornandam consiliisque & opera iuuandam conferret. Inde statim graues & honorificae legationes decretae ei sunt, in quibus vna ad ciuitatem Hamburgensem: alia ad Illustrissimos Duces Cellenses, Hannoueranos & Wolfferbytanos: alia item ad Carolum Gustauum Wrangelium, Suedorum supremum rei armamentariae Praefectum. Anno 1652 post alias functiones in Senatoria dignitate fideliter administratas Praetor, seu Iudex designatus est. Et cum anno 1659. 19 Dec. Consul & noui Senatores eligerentur, Defunctus noster Camerarius factus est. Anno autem 1663. 21 Febr. cum Magnificus vir Io. Marquardus Consul renunciatus esset, ipse in eius locum in Camera adscendit. In ea statione vitam beato excessu finiit 16. Febr. ani 1665.

IOANNES SCHRÖDER.

Hunc Senatorem publicae salutis valde studiosum Auctor Vitae eius & Elogii, in exequiis an. 1714 d. 27 Mart. ipsi annorum 75 seni factis, vernacula lingua euulgati, Libro Integrorum (dicto 2. Sam. I. 18 ספר הישר) inscribendum esse existimauit. Ego vero Athenis meis inserendum censeo, quoniam in nostro Athenaeo per fidelem institutionem pietati, artibus liberalibus & praesertim Latinae lingue (*deren zulängliche Wissenschafft Ihm nachgehends wol zu statten gekommen*, teste eodem) fuit assuefactus. Deinceps

ceps quidem mercandi ſcientiam ſibi reddidit familiarem adeo, vt perfecte eam calleret, neque tamen vale ſtatim omni cum Muſis commercio dixit. Atque hac re non parum fuit adiutus in adminiſtrandis negotiis, quae requirebantur ab ipſo ampliſſimo Senatorio muneri an. 1703. d. 24 Iul. admoto. Citatus Auctor his ideo eum afficit laudibus: *GOtt hat Ihn zu höheren Ehren bringen wollen, indem er es alſo geſchicket, daß derſelbe an. 1703. den 24 Jul. durch ordentliche Wahl zu Rath erkohren worden. Welches beſchwerlichen Amptes Er ſich nicht gewegert, ſondern aus Liebe ſeines Vaterlandes und des gemeinen Beſtens, Ihm ſolches willig aufbürden laſſen, auch alle und jede mühſelige Raths-Officia (nur allein die Cämmerey ausgenommen) aus allen Kräfften und mit ſonderbahrem Fleiß bedienet hat. - - - Er hat überall in der Stadt ein gutes Zeugniß, und nimmt das ihm zuvor beygelegte ſchöne Praedicat eines* Redlichen *mit ſich in die Grube.*

CHRISTOPHORVS SIRICIVS.

Augere hic poteſt Ἰδιοβιογράφους (p), quia ipſe de vita ſua memoriae aliqua prodidit. In his refert, quod Lubecae an. 1632 natus ſit: *poſt ingreſſum*

(p) Ita voco eos eruditos, qui ipſi vitas ſuas deſcripſerunt. Eiusmodi viros olim animi cauſa haud exiguo numero collegi, atque iuuenili opera de iisdem tam moraliter, quam hiſtorice quaedam luſi. Si merebuntur, potero haec iuuenilia, dudum elaborata, in lucem producere. Nam pauca mihi praeripuit Cl. Godofred. Wagnerus, cuius Diſſertatio de Scriptoribus, qui de ſua ipſi vita expoſuerunt, Witteb. 1716 edita eſt.

gressum in hanc vitam, retineo eius verba, *haeserit sub parentum & tutorum educatione in patria, vsque ad annum Christi* 1651, *intra quod temporis spatium sub praeceptoribus Bangertis & Kockertis, magnae eruditionis viris, elegantis litteraturae semina hauserit:* Legatis Lubecensibus Dauidi Gloxinio, Syndico, Henr. Kirchringio & Hermanno a Lengerken, Senatoribus, in Daniam missis Secretarius sit adiunctus, deinde iuerit in Galliam, ibidemque per biennium sit commoratus. De honoribus, quibus paulo post fruitus est, ipsum iuvat audire. *Spiram*, inquit, *migraui, vbi Serenissimus Princeps, ADOLPHVS IOANNES, Comes Palatinus ad Rhenum secretis me epistolis adhibuit, in quo officio per duos annos multos labores exantlaui. Cum vero Serenissimus ille mihi Consiliarii intimi munus gratissime offerret, id honoris modeste declinaui. At nihilominus vsque ad extrema Principis fata Ipsi, quamvis procul & absens, a Consiliis fui. - - - Reuersus sum Lubecam an.* 1671, *ibique subsequenti anno ab inclytis patriae Patribus ad Secretarii munus sum vocatus.* Haec ipse Siricius in Vita sua, cui amici manus addidit Elogium, his verbis finitum: *Curia in illo viro ministrum dignissimum, Ciuitas ciuem egregium perdidit.* Obiit an. 1692. aet. 60.

IOANNES WOLTER.

Lubeca, quae hodieque Viro hoc meritissimo gaudet, ipsum per optimos parentes *Michaëlem Wolter*, negotiatorem honestissimum, & *Catharinam Burmanniam*, feminam sexus sui ornamentis conspicuam, an. 1666. V Id. Aug. produxit, & eius litteras (quas alii etiam praeceptores augere labo-

laborarunt) in aliquot Scholae publicae classibus nutriuit. Iactis prope fundamentis facile potuit a summis artificibus *Morhofio* in Academia Kiloniensi, *Strykio*, *Schulzio*, *Schöpfero* & *Becmanno* in Viadrina Academia maior eruditio superstrui. Accesserunt itinera Germanicum & Italicum, quibus sapienter confectis debet haud exiguam partem litterarum cognitionis & rerum gerendarum peritiae. Industriae praemiis duobus in primis fuit ornatus. Primum est V. I. Doctoris dignitas, qua insignitus est in Academia Wittenbergensi, cum in examinibus pariter ac defensione [quae praeside *Io. Henr. Bergero* an. 1692. d. 23 Ian. facta] docte ac copiose elaboratae *Disputationis Inauguralis Iuridicae de Potestate Personae publicae in se ipsam* praeclare stetisset. Alterum est splendidum Senatoris munus, quod an. 1708. d. 30 April. in patria Republica obtinuit, eodemque ita est defunctus, vt patriae commodum tam in Legatione, quam obiit, Suecica, quam aliis rebus omnibus quouis tempore promouere studuerit. Vnde, qui patriae benecupiunt, mecum etiam illum per multos porro annos cupiunt felicissimam agere vitam.

LAVRENTIVS WOLTERSDORF.

Cursum scholasticum viri huius meritis inclyti, qui an. 1651 natus est, his verbis describit B. Suantenius in Progr. Funebr: *Transegit pueritiam atque adolescentiam per omnium honestarum liberaliumque artium cultum, iactis a praeceptoribus priuatis doctrinae fundamentis primis: quibus solidior mox acces-*

ſit cognitio, ductu & adiumento virorum perquam eximie & celeberrime tunc merentium de ludo litterario publico, inque Gymnaſio & Schola ſolertiſſime laborantium Franckii, Brüggii, Polzii & Nottelmanni. Academica ſtudia tractare coepit Wittenbergae, cui memoriam ſui reliquit habita Oratione publica *de Germanorum Victoriis a Gallis reportatis* & defenſa ſub *Wilh. Lyſeri* praeſidio Diſſertatione *de Actione Aquae publice arcendae*; Gieſſae deinceps continuavit. Cum porro Germaniam, Belgium & Angliam peragraſſet, & multa vtili prudentia ac prudenti vtilitate cognita ſibi reddidiſſet, recreauit ipſum ſummis in iure honoribus Kilonienſis Academia, quippe ibi an. 1681 poſt habitam ſub Schultziano praeſidio *de Amicabili Compoſitione* inauguralem Diſputationem V. I. Doctor fuit renunciatus. Lubecam quoque vidit labores largiter remunerantem. Nam non ſolum Reu. Capitulum Lubecenſe eum Syndicum conſtituit, ſed &, interiectis ſeptem annis, an. 1708 d. 21 Febr. ampliſsimam ſpartam Senatoriam adeptus eſt, & ad an. 1712, quo vitam amiſit, ornauit. *Quam grauis*, inquit Suantenius I. c., *iuſtitiae in munere perarduo cultor fuerit, qua ratione variis commiſſi partibus officii perfunctus ſit vir conſultiſſimus, quo virtutum ornatu exſplenduerit, quam ſatis occupatum impeditumque iſtum vehementer tenuerit praeturae vrbanae iurisdictio, non ſurdae poſteritatis commendationi vberrima praedicabitur commemoratione.*

SECTIO III.

SECTIO III.

EXHIBENS
THEOLOGOS.

Meritum Athenai noſtri haud exiguum eſt, quod omnia fere totius Venerandi Miniſterii noſtri (quod Deus ſeruet & omni fortunae genere beet!) membra olim eius alumni fuerint, qui in eo ad altiora cum fructu percipienda ita praeparati, vt posſint vtilisſimam Eccleſiae operam nauare. Solus ſumme Reverendus Praeſul noſter eſt excipiendus, qui iuuenis in ciuitate patria Lipſienſi didicit. Praeclarisſimum noſtrum Mellium excludere horum numero non poſſum. Licet enim ſchola publica eum non agnouerit ciuem, agnouere tamen publici doctores Hermannus Nottelmannus & Io. Polzius eum auditorem. Vt autem Lectoribus, rem ſacram Lubecenſem amantibus, de meritis inclytisſimo ordine noſtro ſacro, qui hodie eſt, eo melius posſit conſtare, coniunctim hic nominabo omnia ipſius membra, quae ſunt

D. GEORG. HENR. GOETZE, Superintend.
CHRISTOPH. WENDT, Senior & Paſt. Cathedral.
M. IACOB. a MELLE, Paſt. Marian.
CHRISTOPH. ROHN, Paſt. Iacob.
IOAN. RITTER, Paſt. Petrin.
IOACH. HENR. CARSTENS, Paſt. Aegid.
GODOFR. BEISNER, Archi-Diac. Marian.

M. BALTH.

M. BALTH. GERH. HANNEKENIVS, Archi-Diac. Cathedr.
HERMANNVS BLATZEN, Symmyſta Cathedr.
IO. DAN. BVRGHARDI, Symmyſt. Marian.
IO. GEORG. REINESIVS, Archi-Diac. Iacob.
M. IO. PHIL. ERASMI, Symmyſt. Ioan.
IO. PETR. STEIN, Symmyſt. Iacob.
IO. FRID. ALBRECHT, Symmyſt. Iacob.
BERNH. HENR. VON DER HVDE, Symmyſt. Marian.
IO. REICH, Symmyſt. Aegid.
CHRISTOPH. ANTON. ERASMI, Symmyſt. Petr.
M. HENR. SCHARBAV, Symmyſt. Templ. Arcis & S. Spirit.
IOACH. IOAN. SCHNOBEL, Symmyſt. Petr.
THOM. HENR. BRANDT, Symmyſt. Laurent.
M. SAM. GERH. a MELLE, Symmyſt Aegid.

Hunc conſpectum in gratiam exterorum, noſtrum Miniſterium noſſe cupientium, praemittere placuit. De omnibus ſuo loco, quem vnicuique alphabeticus ordo asſignat; plura dicentur.

IOANNES FRIDERICVS ALBRECHT.

Patria Lubecenſis, defendit in Colloquio Theologico D. *Ge. Henr. Goetzii*, Praeſulis noſtri ſumme venerandi, *Quaeſtionum e Theologia Caſuali excerptarum Specimen*, ex quo Specimine copioſa excerpta leguntur in Nou. Lit. Mar.

Balth.

Balth, 1707. p. 222. sq. Electus an. 1712. d. 3 Nov. Symmysta Iacobaeus eiusd. Goetzii *Exercitationem Theologicam in illud Lutheri: Pestis eram viuus, moriens ero mors tua Papa!* d. 10 Nov. pro sacris ordinationis Ecclesiasticae rite capessendis tuitus est.

SEBASTIANVS BACMEISTER.

Ecclesiae Trauemündensis Presbyter, ex antiqua & celebri Bacmeisteriana familia oriundus. Natus est 1646. d. 9. Aug. Otterndorffii in Hadelia, vbi pater eius *M. Lucas Bacmeisterus*, qui deinceps spartam Pastoris & Superintendentis Raceburgensis nactus est, sanctiori coetui tum praeerat. Doctores in Gymnasio nostro *Henricum Bangertum* & *Io. Polzium* veneratus est. An. 1676 d. 6. April. Magnificus Senatus Lubecensis Ecclesiae Trauemundensi eum praefecit. Mortuus est an. 1704. d. 14 Maii. Edidit

Dissertationem veram Messiae exhibitionem & θεανθρωπίαν, ex Mich. V. I. ostendentem. Rostoch. 1669. 4. Defendit eam publice sub praesidio B. Aug. Varenii.

Septuplicem Coronam Senectutis, occasione Iubilaei Nuptialis M. Bernh. Krechtingii, Sen. & Past. Mar. Lubecensis. Lubec. 1700. 4.

Reliquit MSS.

Academiae Rostochiensis, Conseruatorum, Cancellariorum & Rectorum, ceterorumque in ea illustrium ac praeclarorum Virorum, videlicet Theologorum, ICto-

ICtorum, Medicorum & Philosophorum Historiam ab ipsis incunabulis ad annum 1700 productam.

Mareschalci Thurii Annales Herulorum ac Vandalorum cum continuatione & Tabulis Genealogicis ad hodiernum Ducem Mecklenburgensem producta.

Plura de hoc viro eiusque conatibus dabunt Nov. Lit. Mar. Balth. 1700. p. 347. 1701. p. 98. 213. 1705. p. 29 sqq.

ALBERTVS BALEMANN.

Theologus Lubecensis, de Ecclesia Mariana, cuius Symmysta & Pastor fuit, bene meritus. Patre *Henrico Balemanno*, Senatore Lubecensi optimo, quem diuturna peregrinatione Galli, Itali & plures externi populi etiam nouerunt, an. 1615 III Id. Maii in lucem editus est. Munia sacra an. 1643 suscepit: an. autem 1672 beata morte defunctus reliquit. Laudatur ob eruditionem in nostro Athenaeo pariter ac Academiis comparatam, pietatem, facundiam, incredibilem in aduersis constantiam & alias virtutes a B. Nottelmanno ap. Goetz. in Elogg. German. Theologg. p. 426 sqq. Epitaphium eius in templo Mariano hanc habet inscriptionem:

Memoriae Viri admod. Reuer. & Praecell. Dn. ALBERTI BALEMANNI, Pastoris huius Templi meritissimi, nati an. MDCXV. 13 Mai. denati MDCLXXII. 25 Iunii.

Talis

Talis erat BALEMANN, Mariani Pastor ouilis,
Corporis hanc vmbram picta tabella refert.
Dona viri referent PAVLI praecordia, PETRI
Os, & sincero pectore NATHANAEL.

GEORGIVS BALEMANN.

Alberti filius, an. 1647 luce frui coepit. *Vt primum*, inquit B. Suantenius in eius Memor. ap. Goetz. l. c. p. 636 sq., *ex pueris excessit, literis humanioribus eruditus & probe excultus est sub auspiciis & institutione fidelissima virorum tunc in perpoliendis adolescentum animis enixe elaborantium & in Ephebeo nostro desudantium meritissimeque insignium Dnn.* Meieri, Bangerti & Polzii, *vsque eo, vt, qualia in studiis & artibus, quae ad humanitatem pertinent, incrementa fecisset, vno alteroque specimine oratorio sub moderatione viri praeclarissimi Dn. Bangerti luculentissime declararet.* Giessae deinceps creatus est Magister, cum antea defendens Philosophicam Disputationem praeclare stetisset. Ibidem quoque praeside *Siricio*, & deinceps Kilonii praeside *Musaeo* sacrae doctrinae argumenta disputando excussit, quod ex illius Decade, & huius Fasciculo Dispp. apparet. Post obitum patris an. 1673 Symmysta Marianus fuit constitutus. Obiit an. 1688. Reliqua vid. l. c.

FRANCISCVS BALEMANN.

Filius eiusdem *Alberti*, an. 1661. lucem aspexit. *Cum disciplinae*, sunt verba B. Suantenii in Memoria eius Lubec. 1712. f. *capax euasisset,*

ſiſſet, doctae committebatur curae & inſtitutioni virorum tunc de publico Ephebeo praeclare ac inſigniter merentium Nottelmanni, Hinckelmanni, Polzii, Lipenii, Brüggii, Scheuii, Franckii, Lüderi, Lippii, Tribbechouii, vt, per omnes ludi literarii claſſes ſolerter procedens, literaturae politioris compos exiſteret. Roſtochii adhaeſit in primis *Schomero*, atque eius auſpiciis *de controuerſiis huius ſeculi: de Ritibus Eccleſiaſticis: de Controuerſiis Anti-Socinianis* haud raro cum aliis erudite conflictatus eſt. Argentorati quoque vires ſuas tentauit ſub praeſidio *Seb. Schmidii* publice *de Circumciſione Spirituali e Coloſſ. II.* 11. 12. diſputando. Perluſtrauit deinde Galliam, Angliam ac Belgium, & patriae redditus an 1689 m. Aug denato fratri *Georgio* ſucceſſit, eidemque Eccleſiae Marianae operam ſuam dicauit, quae parentem ac fratrem ſacros miniſtros habuerat. Anno 1706 Archi-Diaconus euaſit & poſt ſex annos vitae laudabiliter actae finem impoſuit.

GODOFREDVS BEISNER.

Lubecam dulcisſimam accepit patriam & ſimul fidelisſimam iuuenilium ſtudiorum nutricem, quae eo magis creuerunt, quo melius in Athenaeo publico ſe geſſit. Teſtem habeo B. Suantenium, qui eum ideo commendauit in Programmate praemiſſo ipſius *Orationi de Symbolo Maximiliani II: Dominus prouidebit* an. 1692. d. 17 Mart. habitae in publico ſpectatisſimorum virorum conſeſſu. Finitis deinceps Academicis ſtudiis, in patria expertus eſt laborum

rum fructum, an. 1701 admotus sacro muneri peragendo in aede Mariana, quae eum hodie videt Archidiaconum animarum curam agentem.

IOACHIMVS BERINGIVS.

Patria huius celebris Theologiae Doctoris, Professoris & Pastoris Gryphici fuit Stralesundia, vbi an. 1574 natus est. *Aetatis anno decimo quinto*, sunt verba Io. Eberhardi apud Goetzium in Elogg. citatt. p. 94 sq, *Lubecam concessit, in quo Gymnasio Ciceronem euoluendo & declamatoriis Orationibus se exercendo in septennium vsque substitit, nec contemnendum futurae eruditionis fundamentum iecit.* Obiit 1627, cum singula, quae gessit, munera probe ornasset. Reliquae ipsius vitae rationes l. c. prolixius legi possunt. Innotuit

Dissertatt. de Iesu Christo θεανθρώπῳ, vnico humani generis Redemtore.

- - - *de Sacramentis.*

- - - *Anti-Photinianis.*

Non confundendus est cum IOANNE BERINGIO, filio, qui Gryphiswaldiae eadem egregia munera administrauit, & ex variis scriptis Theologicis, *Collegio Anti Caluiniano: de S. Scriptura: de Fide Infantum: de Omnipraesentia carnis Christi, Descensu Christi ad inferos & Angelis*, aliisque, famam nactus est.

CHRISTIANVS BILEFELD

Agnouit patriam Lubecam, & patrem *Her-*

mannum Bilefeld, Scholae Lubecensis Collegam. Cum Facultatis Philosophicae Wittebergensis Adiunctus esset, Ecclesiae Wernigerodensis Pastor & Antistes, siue Superintendens, vocatus est. Quod insigne munus auspicaturus, *Fidem Veterum & in primis fidelium mundi ante-diluviani in Christum verum Deum & hominem, eiusque passionem meritoriam* Disputatione solemni pro licentia assumendi summum in Theologia gradum, praeside Abrah. Calouio, Wittebergae 1655 defendit. Studiorum egregium subsidium habuit Stipendium Schabbelianum. Quare ipse in Dedicat. suae *Disputationis Theologicae de Conuersione Hominis*. Witteb. 1651. 4 ad Dau. Gloxinium, D. & Syndicum Lubecensem, ac Henr. Schabbelium, D. & Dicasterii Megapolitani Advocatum scribit: *Vestrae munificentiae post Deum debeo, quod per tot annos studiis meis Theologicis inseruire, eademque indefessa cura persequi potuerim. Vos enim ex amplissimo stipendio illo Schabbeliano sumtus non minimos & ad viuendum & ad quaedam necessaria studiis inseruientia media comparanda suppeditastis, sine quibus in Academiis diutius viuere mihi denegatum fuisset.* Edidit etiam *Quaestionem Politicam: An diuersae religionis homines foedus ferire possint, & an etiam illud frangere licitum sit?* Witteb. 1654. 4.

HERMANNVS BLATZEN.

Doctoribus publicis Athenaei patrii ita vsus est, vt humanioribus litteris perpoliretur: ita pla-

placuit, vt B. *Suantenius* eius cum laude meminerit in Programmate, quo ad ipsius *Orationem de HENRICI II Imperatoris Romani Symbolo: NE QVID NIMIS* an. 1695 d. 24 Octobr. publice habitam Auditores inuitauit. Multa in primis se debere B. *Hesio*, grata mente fatetur. Finitis deinde studiis Academicis in patriam se recepit, vbi an. 1705 sacro in Cathedrali Aede muneri admotus est. Vid. Nou. Lit. Mar. Balth. 1706. p. 124.

IOACHIMUS CHRISTOPHORUS BODENIUS.

Wismariensis, Philosophiae Magister & Rostochii ad D. Mariae Diaconus. Didicit domi, Lubecae, Rostochii & Wittebergae, plus simplici vice eruditum certamen ingressus. Vita eius breuiter consignata legitur in Nou. Lit. Mar. Balth. 1701. p. 257.

ERNESTUS CHRISTIANUS BOLDICHIUS.

Sunderburgum, insulae Alsiae, oppidum patriam accepit, patre *Io. Boldichio*, Concionatore aulico & Praeposito, matre *Anna Hergeria*, ciuis Augustani ob religionem exulis, filia an. 1657. d. 9 Nov. prognatus. *Iactis in schola patria*, vtor verbis Clariss. Auctor. Nou. Lit. Mar. Balth. 1704. p. 380, *doctrinae & fidei fundamentis ad Gymnasium Lubecense missus, biennium ibi sub Herm. Nottelmanno, Rect. exegit; inde vero Ienam an.* 1669 *pro-*

fectus est. In hac Academia studiis Theologicis philosophica, oratoria & philologica prudenter admodum praemisit. Summos deinceps in Philosophia honores consecutus ciues quosdam Academicos Logicam, Metaphysicam & Hebraeas litteras docuit. Continuauit bene coepta in Academia Kiloniensi, vbi excellentissimi doctores Musaeus & Wasmuthus eo illum amore dignum iudicarunt, quo deinceps Hafniae Noldius & alii doctissimi viri eum sunt complexi. Constitutus postea est Eccl. Reg. Aulicus in arce Coronaeburg. & Ecclesiae Teutonicae Helsingoranae Pastor. Edidit

Disp. de Pontifice Ebraeorum maximo. Ien. 1672. 4.

Diss. de Concursu causae primae cum secundis, contra Heerbordium. ibid.

Diss. de Facto C. Mutii Scaeuolae. ibid.

Entdeckung Calvinischer Betrüglichkeit. 1684. 8.

Schlechte Hoffnung besserer Zeiten, contra Speneri Hoffnung besserer Zeiten. 1696. 12.

Sabbathum Animae sanctum. 1703. 8.

Des ewigen Vaters Iesu Christi liebreiches Testament in dem hoch-heiligen Gedächtniß-Mahl seinen gläubigen Kindern eröffnet. 1704. 12.

Conciones funebres. fol.

IOANNES BOTSACCVS.

Hunc magni nominis Thologum, qui primum fuit illustris Athenaei Gedanensis Rector, Theologiae & Linguae Hebraeae Professor, nec non

non ad S. Trinitatis Aedem Paſtor, deinde primi Templi Paſtor ibidem primarius & ſacri ordinis Senior, omnes norunt, qui viros de ſacra Republica immortaliter meritos non ignorant. *Quantus enim fuerit Botſaccus ille, ὁ μακαρίτης, heu! quondam noſter, in ſolis menſa poſitum, totique Eccleſiae Ieſu Chriſti, quae ſibi hunc veritatis coeleſtis vindicem ac venerandum ſenem, pium, ſolidum, neruoſum ac ſubactisſimi iudicii Theologum ereptum acerbe dolet, nimis quam compertum eſt,* ſcribit verisſime B. Io. Ad. Scherzerus, idoneus maxime iudex, in Praef. praemiſſa edit. Francof. & Lipſ. 1699 f. *Moralium Gedanenſium*, quae in eadem Praefatione *opus re vera aureum* appellat. Quare non opus eſt multa de eo in medium proferre, praeſertim, quoniam eius Memoria ſtudioſe a *Chriſtiano Omuthio* eſt litteris tradita. Reperitur illa cum ſcriptorum huius praeſtantisſimi Theologi prolixo indice in Wittenii Memor. Theologor. Dec. XIV. p. 1815 - 1826. Ea tamen tacere non posſumus, quae ad ſcholaſticam eius vitam peregregie Lubecae, quam, relicta patria, Herfordia, concesſit, actam. *Anno*, inquit Omuthius l. c. p. 1817, *ſupra milleſimum ſexcenteſimum decimo tertio genitalem cum genitoribus locum liquit, ſeque ad Patruelem, Fridericum Botſaccum, mercatorem Lubecae florentem, contulit. In hac Imperiali Liberaque vrbe ludi litterarii limina ſedulo calefecit, ſuamque moderatoribus induſtriam, diſcendi ardorem atque obedientiam probauit.* Ipſe Vrbis atque Athenaei Lubecenſis gratus alumnus animo beneficiorum

memori in Praefat. Moral. Gedanenſſ. iſthaec ſcripſit: *Non dicam, admodum (citra iactantiam dictum, quaeſo) gratam extitiſſe ſtudioſae iuuentuti operam contextarum Allegoriarum, cuius iam quinta editio adornabitur, quamque iuuenis iudicio ſummi Theologi p. m. D. D. Nicolai Hunnii, Superintendentis Eccleſiarum Lubecenſium olim meritiſſimi, Domini Praeceptoris, hoſpitis atque affinis mihi ſempiterna memoria honorandi, munitam Lubecae edidi, primae & almae ſtudiorum meorum nutrici, liberalitate ampliſſimorum Schabbelianorum lactatorum.* Valet igitur omnino ad gloriam Vrbis & Scholae noſtrae, quod iuuerit ac docuerit virum, cuius effigiei non nemo, qui eum *incomparabilem Theologum* vocat, hanc epigraphem adiecit:

Botſaccus hic eſt, volta cuius affabre
Ceruſſa ſiſtit luminata poſteris.
Sunt cana candoris character tempora,
Auguſta zelum frons repandit pectoris,
Oculique commonſtrant grauitatem ſeriam,
Quin format oris ipſa Suada gratiam.
Sed ſcripta dotes arguunt magis viri,
Seu veritatis illa clarant dogmata,
Seu detegunt eadem Sophiſtarum ſtrophas
Aut moribus cunctos honeſtis inſtruunt.
Curatius ſi noſſe geſtis, perlegas:
Botſaccus hic eſt, Gedanenſium decus,
Et lumen orbis Chriſtiani, dixeris.

BARTOLDVS BOTSACCVS.

Ipſa Lubeca filiis ſuis hunc magnum Theolo-

logum accenſet, natum an. 1676. d. 24. April., parentibus *Conrado Botſac*, Capit. Lubec. Vicario ac mercatore, & *Roſina von Claſſen*. Inter maiores ipſius fuerunt multi Nobiles ac Barones, quod annotauit V. C. Phil. Iul. Rehtmeyerus in Antiquitat. Eccleſ. Brunsuic. P. IV. c. 10. p. 697, exiſtimans, Cl. Rolli Bibliothecam Nobilium Theologorum eius exemplo eſſe omnino augendam. Laudatisſimus fuit Athenaei noſtri diſcipulus, quod ex his Rethmeyeri l. c. p. 699 ſq. verbis apparet: *Da ſeine Eltern bemercket, daß er ein Kind guter Art, ſo von der Hand des gütigen Gottes feine Gaben bekommen, ſo haben ſie ihn auch in das Gymnaſium ſeiner Vaters-Stadt unter die Hand der damahligen Lehrer gethan, unter deren embſige Anweiſung er ſich denn ſo lange aufgehalten, biß er tüchtig geſchätzet worden, an auswärtigen Oertern höhere Schulen zu betreten. Wie er aber in ſolchen Schul-Jahren keinen Mangel gehabt an den Fleiß ſeiner Praeceptorum, alſo hat er es auch an ſeinem eigenen Fleiß nicht ermangeln laſſen, weil er wol wuſte, was Antiphanes beym Stobaeo ſagt, daß nehmlich alles einer fleisſigen Bemühung unterwürffig gemachet werde. Dannenhero iſt er unermüdet in dem Lauff ſeiner Studien fortgefahren, den er angefangen. Er hat ſich als ein unverdroſſener Schüler in den Sprachen und Wiſſenſchafften, ſo getrieben wurden, geübet, und hat es an der Hitze ſelbige zu erlernen, durch göttlichen Seegen vielen andern, ſo gleichfals darnach ſtrebeten, zuvor gethan. Ja ſein Fleiß ging nicht bloſſerdings auf ſein Wolſeyn und auf die Vermehrung ſeiner Wiſſenſchafft, ſondern gleichfals auf das Wolſeyn und auf die Vermeh-*

rung der Wissenschafft anderer. Denn, als er kaum funfzehen Jahr alt war, und ihm sein Vater durch den zeitlichen Tod war entrissen worden, die Güte Gottes aber das Hertz des damaligen Pastoris an S Ægidii in Lübeck und eines Ehrwürdigen Ministerii Senioris, Johannis Reichii, dergestalt lenckete, daß er sich seiner an Vaters Stadt an- und ihn in sein Haußaufnahm, so erwieß er an dessen Sohne gleiches Nahmens, welcher nachhero Prediger an St. Jacobi Kirchen genannter Stadt geworden, in Unterweisung solche Treue, daß gedachter Mann, da er zu Jahren gekommen auch zum öfftern durch Trieb seines danckbahren Hertzens gestehen müssen, daß er ein gutes Theil seiner Gelehrsamkeit unserm Botsac, nechst dem Geber aller guten Gaben, zu dancken. Dixit Gymnasio patrio honestissima ratione vale an. 1669. d. 15 April. habita auspiciis *Herm. Nottelmanni* Oratione publica, qua *Discordiam e patria eiectam in perpetuum exilium misit.* Non minori laude cursum Academicum primum audiendo, deinceps docendo & disputando absoluit, illustri Schabbeliano stipendio egregie subleuatus, & honoribus tandem Theologicis summis insignitus. Virum eximiis donis ornatum Giessenses deinde coluerunt Ecclesiasten, Brunsuicenses Pastorem & Praesulem, Hafnienses Ecclesiae Teutonicae Antistitem, Theologiae doctorem publicum & sanctioris Consilii, quod Consistorium vocant, membrum. Mortuus est Theologus meritissimus an. 1709. d. 16 April. De scriptis eius recte iudicat Clar. Raupachius in eleganti Commentat. de Rei Sacr. & Litterar. in Dania

ſtatu p. m. 45, quod *infinitam plane lectionem ſagaxque in omni re Theologica iudicium oſtendant.* Idem etiam l. c. p. 45 ſqq catalogum ſcriptorum (quorum praecipua ſunt (1) *Vindiciae Fewrbornianae* in argumento de reali Corporis & Sanguinis Chriſti in S. Coena praeſentia contra *Io. Heinium* Gieſſ. 1676. 4 & contra *Non neminem*, Hafn. 1697. 4. (2) *De Formula Liturgica: Surſum corda.* Hafn. 1698. (3) *Commonitorium triplex Evangelicum, Epiſtolicum & Catecheticum de fugiendo Papiſmo.* Francof. & Lipſ. 1702. 8. (4) *Medulla Theologiae Moralis.* ibid. a. e. 8. (5) *De Peccato in Spiritum Sanctum.* Brunſu. 1703. 8) exhibuit. De ſcriptis Anti-Pontificiis egit Goetzius in Biblioth. Anti-Pontif. Claror. Lubecenſſ. p. 8 ſq. Fuſiſſime de noſtro commentatus eſt Rehtmeyerus l. c. pag. 696-718. Conf. quoque Nou. Lit. Mar. Balth. 1698. p. 140. 1699. p. 108. 1700. p. 84. 1701. p. 345 ſq. 1702. p. 296. 341. 1704. p. 378. 1708. p. 26.

THOMAS HENRICVS BRAND.

Lubecenſis, poſt abſoluta ſtudia Scholaſtica pariter ac Academica ſumme reu. Goetzii noſtri *Diſſertationem Theologicam de Caecis* an. 1715. d. 5 Iul. & *Διάσκεψιν de Salute Lutheri* an. 1718. d. 10 Febr. defendit. Electus eſt Symmyſta Laurentianus d. 3 Febr. 1718.

IOANNES DANIEL BVRCHARDI.

Prudenti conſilio fuit miſſus in Scholam noſtram

ſtram publicam, in qua tum *Martini Lipenii*, quem ſibi diſcipulo ereptum carmine edito doluit, tum aliorum praeceptorum inſtitutione aptus euaſit ad Academicos doctores cum fructu audiendos. Hac ratione litteris imbutus in patria an. 1706 ſacro Mariani Symmyſtae muneri eſt admotus, cum antea in conſeſſu Reuerendi Presbyterii laudati *Goetzii* noſtri *Diſſertationem Theologico-Moralem Officium Liberorum erga Parentes expendentem* defendiſſet. Vid. Nou. Lit. Mar. Balth. 1706. p. 381 ſq.

IOACHIMVS HENRICVS CARSTENS.

Tres meritisſimi viri ac Fratres THOMAS CARSTENS Symmyſta Aegidianus, IOACHIMVS FRIDERICVS CARSTENS, Senator Lubecenſis & NICOLAVS CARSTENS, Praefectus Mölnenſis reliquerunt Filios, qui hodieque Lubecam ornant. De *Ioachimi Friderici* filiis iam actum eſt. *Nicolai* filii deinceps occurrent. Hic memorandus eſt *Thomae* filius, quem noſtri Lycei doctores dignum reddiderunt Academiae candidatum. Cum autem finem impoſuiſſet ſtudiis Academicis (ad quae pertinet etiam Diſſertatio, qua Gieſſae an. 1686 *Io. Matth. Englerto* Praeſide *Natalitia Chriſti* propoſuit) atque patriam repetiiſſet, haec laboris praemium concesſit. Etenim in ea Templi Aegidiani an. 1694 Symmyſta, an. 1711 Archi-Diaconus & an. 1718 Paſtor eſt renunciatus.

DA-

DANIEL COTHENIVS.

Brunsuicensis, ex schola patria an. 1594 venit in nostram Lubecensem, quam tum regebat Otto Gualtperius. Ab ipso de meliori nota commendatus, insigni ciuis Lubecensis hospitio fuit exceptus, & ad Academiam Rostochiensem an. 1599 abiturus largis muneribus ab *Henrico Paschen*, Senatore, affectus. Absolutis studiis factus est an. 1607 scholae patriae Aegidianae Conrector &, biennio interiecto, Templi Mariani Ecclesiastes. Haec & alia non sine Cothenii, an. 1637 mortui, laude affert Rehtmeyerus l. c. p. 345 sqq.

HERMANNVS DAKENDORFF.

Patria Lubecensis, an. 1623. 20 Iul. natus, Arithmetici filius, quem discipuli Athenaei patri habuerunt olim commilitonem & simul filii M. *Iacobi Stolterfohti*, Pastoris Mariani (cuius gener deinceps factus est) paedagogum, postea, absolutis studiis Academicis, Bibliotheca publica praefectum, & tandem Ecclesia Petrina ab an. 1654. 8 Iun. vsque ad an. 1671. 20 Iul. Symmystam & Archidiaconum. Pereximiis laudibus afficitur in Ad. Laur. Nicolai comto carmine, quod inscribitur *Daphnis* & his versibus finitur:

Conditur

Conditur hoc tumulo virtus, ſapientia, candor,
Relligio, pietas, ſuada, camoena, fides.
Creditur Euſebie moerens oracla dediſſe:
Daphnidi vix referent luſtra futura parem.
Solus enim Daphnis repararet Daphnida terris,
Daphnida ſed quantum moribus, ore, ſtilo.

IACOBVS DAKENDORFF.

Patris exemplum imitatus eſt filius, eandemque Scholam patriam litterarum nutricem elegit. Hodie eſt Philoſophiae Magiſter & Paſtor Retſchovienſis. Publici fecit iuris *Scholam Biblicam Meditationes quasdam ſacras, ſeu breuem ac dilucidam locorum aliquot Scripturae ſacrae occurrentium expoſitionem & hinc deducta, quaedam Moralia Tabulis Schematicis delineata exhibentem & ad Homileticorum praxin inſeruientem.* Lipſ. & Roſtoch. 1710. 8.

HIERONYMVS DATHE.

Hamburgenſis, Theologiae Doctor & Praeſul Annaebergenſis in Miſnia, ex Scholae & Gymnaſii patrii ciue noſtri Athenaei ciuis factus eſt. Rem enarrant eius, vt vocari ſolent, Perſonalia Concioni Funebri a *M. Io. Chriſtoph. Genſeln*, Archi-Diacono Annaebergenſi, habitae annexa p 52 ſqq his verbis: *Er fand bey ſich einen unermüdeten Trieb zu einer ſoliden Gelehrſamkeit, dazu ihm denn die beyden gelehrten Männer, der damahlige Hr. Rector Schultze und Hr. Henning, als wolverdienter Conrector, durch gründliche Anweiſung zur*

Lateini-

Lateinischen und Griechischen Sprache, Historie und Geographie, Oratorie und Poësie die erwünschte Gelegenheit gaben, darinnen er denn so herrlich proficirte, daß er sehr viele Specimina seiner darinnen gefaßten Wissenschafft pro cathedra ablegte, und allbereit in seinem 13ten Jahr mit grossem Ruhm die Primus-Stelle in besagter Stad-Schule bekleidete, dabey ihn denn die sonderbahre Liebe seiner Hrn. Praeceptorum in die 4 Jahr erhalten, biß er darauf um seine Studien zu prosequiren in den 17ten Jahr seines Alters, nehmlich Anno 1684 unter die Cives des Hamburgischen Gymnasii sich einschreiben ließ. Woselbst er denn ebenfalls mit ungemeiner Lust sowohl die publicas als privatas Lectiones derer Hrn. Professorum besuchet und sich sonderlich der Instruction des damahligen gelehrten Hamburgischen Polyhistoris, Hrn. Vincentii Placcii, *imgleichen Hrn.* Licent. Anckelmanns, *wie nicht weniger des sehl.* Siuers *und Hrn.* Vagetii *mit allem Fleiß bedienet, bey deren ersteren, nehmlich Hrn.* Placcio, *er sich so insinuiret hatte, daß er ihn vor andern wohl um sich leyden kunte. Seine kostbahre Bibliothec stund unserm seel. Herrn Doctor iederzeit offen. Hatte Hr.* Placcius *gelehrten Zuspruch, so muste auch sein geliebter Dathe darzu gehohlet werden, worüber sich denn unser seel. Hr. Doctor so vergnügte, daß er offt biß in die sinckende Nacht ihren geelhrten Discursen beygewohnet. Doch kunte er nicht allezeit bey seinem* Placcio *seyn, wie er sichs wohl wünschete. War also drauf bedacht, wie er gantz zu einem gelehrten Mann ins Hauß kommen, und desselben bey Tisch und überall geniessen könne. Uud weil der damahlige Archidia-*

conus

conus bey der St. Catharinen-Kirche, Hr. M. Henricus Elmenhorst wegen seiner vortrefflichen Erudition in Hamburg damahls in grossen Estim war, so erwehlete unser seel. Hr. Doctor diesen gelehrten Theologum zu seinem Hospite, welches sich denn seine geliebtesten Eltern alles sehr wohl gefallen liessen, ohnangesehen der grossen Kosten, so dißfalls erfordert wurden. Hier fand nun unser seel. Hr. Doctor alles dasjenige, was er sich längsten gewüntschet: Einen unermüdeten und fidelen Lehrer; Eine auserlesene Bibliothec und allen heilsahmen Unterricht; wie denn dieses Mannes Treue unser seel. Hr. Doctor iederzeit gerühmet, auch zum öfftern ihn gar seinen andern Vater genennet. Von hier hätte nun unser Hieronymus auf Universitäten ziehen können, sintemahl er schon so viel rühmlichst begriffen, daß er nicht ohne Nutz seine Studien auf Academien hätte fortsetzen können. Allein auf Einrathen seines Elmenhorsts und anderer Patronen, (welche wohl wusten, quod non omnis ferat omnia tellus, und kein Gymnasium so vollkommen wohl eingerichtet sey, daß nicht auch andre mit Nutzen frequentiret werden könnten) nahm er sich, iedoch nicht ohne Consens seiner lieben Eltern vor, das Lubeckische Gymnasium erst eine Zeit noch zu besuchen, ehe er von einem Pruritu Academico was wissen wolte. Es hatte damahls bemeldtes Gymnasium zu Lubeck einen vortrefflich gelehrten Rectorem an dem nachmahls hochberühmten Hamburgischen Theologo Hrn. D. Abraham Hinckelmannen, und wie dieses Lumen mundi damahls viele nach Lubeck zog, also vermeynte auch unser seel. Hr. Doctor bey diesen absonderlich in Rabbinicis grundgelehrten Manne vollends seine Studia also

zu

zu tractiren, daß er dereinst vor andern mit sonderbahren Ruhm die Vniuersitæt zu beziehen capabel gemacht wurde. Und es ward auch der seel. Hr. Doctor in seiner Meynung nicht betrogen. Denn so bald er nach Lubeck kam, ward er gleich vom hochgedachten Hrn. Rectore ins Hauß und an den Tisch genommen, der ihn nachmahls als seinen Sohn liebete, und aus seinem Gesichte etwas sonderliches lesen wolte, wie er ihn denngleich bey der ersten Anrede mit diesen Worten empfieng: Mein Sohn, du wirst einmahl ein grosser Mann werden. Wie nun unser seel. Hr. Doctor es an seinem Fleiß niemahls ermangeln lassen; also fehlte es auch in Lubeck daran nicht, und delectirte er sich sonderlich an des hochberühmten Mannes erbaulichen und gelehrten Discursen, nichts mehr wünschend, als, so es möglich wäre, die gantze Zeit seines Lebens mit dem Herrn Rectore zuzubringen. Allein es gefiele dem grossen GOtt ein anders. Denn es wurde bald darauf Herr Doctor Hinckelmann nach Hamburg zum Pastore an der Kirche zu St. Nicolai beruffen, welche mutation unsern seel. Herrn Doctor nicht wenig betrübete. Doch gab er sich in etwas zu frieden, da offtgedachter Herr Doctor Hinckelmann bey seinem Abzuge ihm einen andern wegen seiner sonderbahren Gelehrsahmkeit wohlbekandten Lubeckischen Theologum, Herrn M. Iacob von Mellen, Prediger bey der Kirchen zu St. Marien daselbst recommendirte, der ihm ebenfals in sein Hauß und an seinen Tisch nahm, auch alles, wodurch seine Studia befordert werden konten, willigst beytrug. Hiernechst wurde er von seinen Herrn Prae-

Praeceptoribus, nehmlich dem Herrn Schwanten, *dem berühmten* Lipenio *und* Brüggio *dermassen angeführet, daß, nachdem er zwey Jahr zu Lübeck frequentiret, er endlich mit grossem Ruhm und Lobe, nach abgelegter Oration, de patientia Christi, valediciret.* Cum his consentientia habet Christian. Frid. Wilischius, Lycei Annaemontani Rector, in Progr. quo ad orationes parentales memoriae Dathii nostri sacras inuitauit Lips. 1709. f. Non repetam inde totum curriculum scholasticum Dathii nostri, sed Lubecense tantum pag. 9 sq his verbis descriptum: *Longe alio erat animo Dathius noster, quam adolescentuli in Scholis & Gymnasiis hodie victitantes, quorum mores viuo colore ita depictos Ioach. Camerarius vir ὁ πάνυ dedit, vt si omnes eruditio in lacte tepido vna vice infundi posset, vix exspectaturi tantisper essent, dum quis infunderet. Etenim, ne propter aetatem quidem, festinandum ad Musas Academicas sibi esse prudenter ratus, Parentum suorum & laudati modo Elmenhorstii, hospitis sui fidissimi, consilio optimo, Lubecense Gymnasium, honestissimum quippe ac celebratissimum mansuetiorum Musarum domicilium, salutare decernebat, percelebri potissimum fama allectus* Abrahami Hinckelmanni, *ad clauum istius Gymnasii eadem tempestate maxima cum laude sedentis, facti demum sacrarum litterarum Doctoris & Pastoris ad S. Catharinae Aedem apud Hamburgenses celeberrimi, cuius contubernio atque conuictui ex voto adsociatus, in tanti Viri animum adeo se illatebrabat, vt nunquam discedere a latere ipsius videretur. Accidit etiam ipsi, quod aliis pueris adhuc*

ac

ac adoleſcentibus, ſed in magnos viros aliquando euaſuris; accidiſſe non ita pridem eleganti Schediaſmate ad Virum Magnificum D. Henr. Pippingium, Summum, de quo omnes boni mecum laetantur, in Saxonia Electorali Theologum, de Praeſagiis Eruditorum de Eruditis conſcripto, ſcite admodum recenſuit V. Cl. M. Ioachimus Manzel, Phrontiſterii Parchimenſis in Ducatu Megapolitano Con-Rector. Cum enim primum Lubecam, ad laudatiſſimum modo Hinckelmannum *adduceretur, morum aeque ac litterarum huic ſpecimen editurus, eodem ore, quo olim Rudolphus Agricola in Alexandri Hegii Scholam Dauentriae perveniens, Deſid. Eraſmum; & quo Io. Chriſtfriedum Sagittarium Auguſtiſſimus quondam* AVGVSTVS, *Dux Brunſuicenſis atque Luneburgenſis, alloquebatur, Hinckelmannus quoque ipſum appellabat:* mi Fili, eris aliquando magnus. *Cum itaque non vulgarem expectationem ſuſtinere ſe, ipſe videret, cui reſpondere neceſſarium, vincere pulcherrimum fuerit, fallere autem ſine ſummo dedecore eam certe non poſſet, in eo dies noctesque conſumebat, quo & ingenii & induſtriae laudem amoremque Praeceptoris ſui amantiſſimi integrum vbique ſibi conſeruaret. Haec autem laetitia adeo non erat huic diuturna. Nam a pedibus tanti Gamalielis mature admodum auellebatur, cum doctiſſimus Hinckelmannus a Scholaſtica ad Eccleſiaſticam cathedram, diuina ſorte, euocatus, Lubecam relinqueret & Hamburgum abiret. A cuius latere aegerrime & vi quaſi maxima abreptus, aliquantum adhuc Lubecae noſter perſtitit, traditus poſtmodum conuictui atque hoſpitio* Iacobi a Mellen, *Theologi apud Lubecenſes & Sacri Oratoris ad S. Ma-*

 riae

riae aedem celebratisſimi: diligenter etiam induſtrieque Suantenii, Lipenii & Brüggii, *publicorum ibidem docendi Magiſtrorum quamplurimis eo tempore in rem litterariam meritis in dies magis, magisque inclareſcentium, fide, doctrinaque dexterrima vſus biennio integro inter blandisſima fortunae obſequia elapſo, vitae Scholaſticae, ſermone cum omnium eruditorum applauſu* de Patientia Chriſti *habito, vale vltimum dixit, nomen ſuum ciuibus Academicis quamprimum bonis ominibus daturus.* Continuauit deinceps ſtrenue litterarum ſtudium in Academiis Gieſſenſi ac Wittebergenſi. An. 1692 Ordo Philoſophus Wittebergenſis eum membrum ſuum eſſe voluit, admiratus in eo ingenium praecox, induſtriam & eruditionem, quam in primis praedicarunt illi, qui eum Wittebergae numero haud exiguo docentem audiuerunt. Annus milleſimus ſexcenteſimus nonageſimus & quartus (qui erat aetatis ſeptimus & viceſimus) eum auxit honoribus Doctoris Theologiae & Praepoſiti ac Superintendentis Kembergenſis: annus autem milleſimus ſeptingenteſimus & ſecundus dignitate Praeſulis Annaemontani, quod munus ad annum vsque 1707, quo vita exceſſit, ſumma fide, dexteritate, humanitate, prudentia adminiſtrauit. Valde ideo laudant hunc Theologum tum citata Perſonalia & Wiliſchianum Programma, tum B. Io. Deutſchmannus in Vita ipſius occaſione Diſputationis inauguralis conſcripta. Labores Dathii Academici exantlati tum publico ſpecimine oratorio: tum in Diſputationibus vel

Re-

Respondentis, vel Auctoris & Praesidis munere fungendo; sunt

Diss. de Terrae Immobilitate. Giess. Praes. V. C. *Balthas. Mentzero*, hodie in Hamburgensi Gymnasio Mathematum Prof. celeberrimo.

Oratio de Statu tristissimo deuastati Palatinatus. ibid.

De Sacramento Baptismi. Praes. Ph. Lud. Hannekenio.

De Peccato & Libero Arbitrio. Praes. Kil. Rudrauffio.

Positiones Miscellaneae ex Humanitate Poëtica. Witteb. 1690 Praes. Io. Georg. Neumanno.

De Geniis Veterum.

De Liberarum Imperii Ciuitatum potestate, Maiestatis aemula. Wittenb. 1692. 4.

Consensus Orthodoxorum orthodoxus in Loco de Christo, Disputatione Inaugurali defensus, Praesid. Casp. Loeschero. Wittenb. 1694. 4.

GEORGIVS DEDEKENNVS.

Hunc clarissimum & insignis iudicii Theologum, patria Lubecensem, Ecclesiasten autem Hamburgensem, an. 1628 defunctum, vix dubito iis accensere, qui in Schola nostra publica didicerunt. Quamuis enim in eius Vita ap. Wittenium Memor. Theologor. Dec. VII. p. 922 fiat praeceptorum priuatorum mentio, haud obscure tamen ex his verbis: *Mater nihil vnquam intermisit, quod ad carissimi filii dexterrimam in scholis informationem faceret*, colligitur, eum etiam publice fuisse eruditum, adeoque cum publica

priuatam institutionem coniunctam. Celebrem hunc in primis reddidit *Thesaurus Consiliorum & Decisionum*, quo, iudice B. Io. Frid. Mayero, *Ecclesiae Christi commoda insigniter iuuit auxitque*, in Biblioth. Scriptor. Theol. Moral. p. 6, vbi p. sq. plura de hoc Thesauro eiusque continuatoribus *Io. Ern. Gerhardo* & *Christian. Grubelio* annotata reperiuntur. Reliquorum Dedekenni scriptorum notitia hauriri potest ex Wittenio l. c. p. 923 sq.

BALTHASAR DEHNS.

In sacro Wagriae portu an. 1672 natus & ineunte aetate priuata institutione fruitus *ad publicum*, sunt verba B. Suantenii in eius Memoria, *processit Ephebeum Lubecense, iactisque ibidem primis litterati studii fundamentis ductu virorum in docenda tunc temporis pueritia pereximie ac clare versatorum Chrysii, Lippii, Widae (cuius praesertim sibi accommodatam fidelem praedicare solertiam consueuerat), commissus est deinde vlteriori curae eruditae virorum praeclare ac insigniter meritorum Hinckelmanni, Lipenii, Freudii, Pagendarmii.* Petiit postea Ienam, vbi praeside Velthemio *de Indifferentismo Religionum* disputauit. An. 1704 designatus est Symmysta Petrinus in nostra Ciuitate Lubecensi. Obiit an. 1713. d. 19 Octobr. laudem sanctioris officii bene administrati relinquens.

IOANNES DIECMANNVS.

Huius Theologi Stadensis ideo hic mentio iniicienda, quoniam in eius Personal. legitur:

Er

Er hat seinen Fuß weiter fortgesetzet, und sich nach Stettin begeben, daselbst drey Jahr subsistiret und an. 1630 nacher Lübeck gereiset, und sich bey dem berühmten Hn. M. Iohanne Kirchmanno, Scholae Lubecensis Rectore, zwey Iahr lang aufgehalten. Patria eius est Anclamensis in Pomerania vrbs, in qua an. 1611 lucis vsura frui coepit. Stadae an. 1644 munia Symmystae Wilhadini & Pastoris Mariani obtinuit, quae gessit 37 annos magna fide nec minori diligentia vsque ad finem vitae, qua an. 1681. d. 24 Iun. priuatus est. Patruus fuit summe venerandi IOANNIS DIECMANNI, supremi Ecclesiarum Ducat. Brem. & Verd. Praesulis, hodie (faxit Deus diu!) Stadae superstitis, de cuius Vita ac eruditissimis scriptis commentatus sum in Stad. Literat. p. 24. sqq. Addo hac occasione scriptis viri summi *Inquisitionem in genuinos natales vocis Teutonicae* Kirche, *qua eos non in Graecia, sed Germania, constituendos esse probatur.* Stad. 1718. 4.

PETRVS DREIERVS.

Hunc Theologum, patre opifice Lubecensi honesto ac pio natum, Theologis maximas calamitates passis possumus accensere. Institutus est in Athenaeo patrio: Regiomonti, vbi etiam in Schola Lobenichtensi Collega, & in officina typographica Georgii Osterbergeri corrector fuit: & Wittenbergae, vbi liberalium artium Magister fuit renunciatus. Anno 1695 in patriam reuersus & an. seq. Symmysta Iaco-

baeus electus est. Hoc munus gerens pestilentiae periculo non solum quater fuit exterritus (inprimis an. 1603, quo ipse vna cum Collegis d. 21 Aug. nongentos & decem homines sanctissimarum epularum pignore confirmauit); verum etiam duabus vxoribus, nouem liberis, quinque nepotibus & tandem etiam oculorum lumine fuit priuatus. Huc spectat Epitaphii ipsius, quod est in templo Iacobaeo, inscriptio:

In luctu nascor, vario praesente dolore,
In moerore animi voluo reuoluo dies.
Iam mea cum me fata vocent, haec gaudia vitae
Extrema his votis mente reposta manent.
Viuit jo! viuit, rediuiuus, viuit IESVS,
Qui solus cunctis viuida vita piis.
Hic mihi dum viuit Iesus, mea vita perennis
Vita mihi inuita morte superstes erit.

M. Petrus Dreierus, Lubec. an. 1563 natus, in Ministerio Ecclesiastico sacrae huius aedis non sine multis magnisque laboribus, transegit annos 54, tandemque praemissis nouem liberis & cum variis conflictatus aerumnis An. Chr. 1649. aetatis vero 87 die Natal. Dn. pie denatus, nunc in coelis aeternum triumphat.

Edidit, praeter *Carmen Gratulatorium in Aduentum Illustriss. Principis ac Domini IOANNIS SIGISMVNDI, Marchionis Brandenburgici* Regiom. 1593. 4, *Librum Sententiosum Latino-Germanicum, in quo Aphorismi Euang. & Epist. selecti: Harmonia Psalmo-* *Euan-*

Euangelica anniuersaria: Psalmo-Catechesis & Quaestiones Catecheticae pueritiae scholasticae proponuntur. Lubec. 1617. 8.

HENRICVS DVRKOP.

Ornamentis suis hunc virum, qui est Theologiae Doctor, Professor Regius & Ecclesiae Teutonicae Petrinae Pastor primarius, Hafnia hodie accenset. Genuit eum Lubeca & in Athenaeo nostro pariter ac Academiis doctrina probe excultum vidit Ecclesiae Iacobaeae Symmystam. Qua ratione gesserit haec munia, docent omnes sacri ordinis Lubecensis viri, qui eum Hafnia abiturum eximio testimonio, (cuius contenta indicata leguntur in Nov. Liter. Mar. Balth. 1706. p. 319) publicis litteris exscripto, ornarunt. *De hoc Dûrkopio*, inquiunt p. 5 sq, *veritatis permoti testimonio, affirmare possumus, quod partes boni Sacerdotis omni ex parte sufficienterque impleuerit, omniumque oculos in se conuerterit. Nolumus nunc de studiis eius Philologico-Theologicis, quae, postquam vltimum vale Scholae huic clarissimae dixisset, in Academiis, Lipsiensi iuxta atque Kiloniensi, grauiter & feliciter tractauit, prolixum instituere sermonem, hoc tamen reticere nobis integrum non est, quod, cum litteris probe excultum haberet pectus, atque in Colloquio δοκιμαστικῷ eruditionem dexteritatemque Ordini nostro approbasset, ante undecim ferme annos ad Ecclesiae Iacobaeae Diaconatum, vnanimi Eligentium suffragio fuerit electus & probatus, inque Collegium nostrum rite receptus. Quanta autem fide, quantaque diligentia & contentione*

tione spartam hanc demandatam, a primo temporis momento vsque ad extremum eius articulum, administrauerit, omnes illi norunt, qui Eum vel docentem audiuerunt, vel multorum officiorum vinculo ipsi fuerunt coniuncti. Hafniam an. 1706 delatus auspicatus statim est munus Com-Pastoris Ecclesiae Teutonicae, quae diuo Petro est consecrata. Regio iussu cum hac sparta Catecheseos Professionem primus coniunxit. *Sobald,* inquit ipse in litteris humanissime ad me perscriptis, *als ich hie in Copenhagen kam, gefiel es GOtt und dem König, mir die Professionem Catecheseos, so hie vorhin unbekand gewesen, freywillig ohn mein Begehren und Gedencken allergnädigst zum ersten mahl zu gönnen.* Mortuo Botsacco, Petrini coetus Pastor primarius fuit constitutus. Scripta eius sunt

Tägliche Hauß-Schule, für sich und seine liebe Beicht-Kinder aufgerichtet. Ratzeb. 1698. 8.

Christlicher und nöthiger Vorbericht wegen des 1707 d. 12 Ian. mit GOtt in der St. Petri Kirchen öffentlich zu haltenden Catechismus Examinis, so alle Mittwochen soll continuiret werden, Copenhag. 1706. 8. Recensetur hoc scriptum in Nou. Lit. Mar. Balth. 1707. p. 148 sq.

Erste Milch, welche er nicht nur denen jungen Kindern, sondern auch denen Erwachsenen, und besonders einfältigen Christen zu ihrer Seelen Besten vorgesetzet. ibid. 8. Edit. sec. 1710, in cuius Dedicatione agit de novis Catechetis, qui B. Lutheri Catechismum vel plane non tractant, vel etiam contemnunt.

Fester Grund der wahren seeligmachenden Religion. Copen-

Copenhag. 1707. 8. Edit. ſecund. auct. ibid. 1717. 8.

Otium Quadrageſimale, ſeu Meditationes de Paſſione Saluatoris IEſu Chriſti. Hafn. 1708. 4.

Disputatio Inauguralis de diuino Concurſu in Sphaera Naturae. Gryphisw. 1711. 4.

Einige feurige Kohlen, welche von der unendlichen Glut Göttlicher Liebe, nach Anleitung zweyer Sprüche H. Schrifft in einer Hochgräfflichen Wochen-Stube an. 1711 zuerſt zuſammen geleget, nachgehends zu fernerer Erweiterung göttl. Ehren und Beforderung frommer Kinder GOttes Seelen-Vergnügen weiter aufgewecket. Copenhag. 1712. 8. Explicantur fuſe dicta Pſ. CXVIII. 5. & Rom. VIII. 14.

Elaborauit praeterea haec prelum exſpectantia ſcripta:

Diſputationem Barbariſmis Anti-Barbarbari Langiani oppoſitam. Vid. Praef. Diſſ. Inaug.

Otium Quadrageſimale Continuatum.

Concurſum diuinum in Sphaera Gratiae,

Quaeſtionem: Vtrum impii etiam vi meriti Chriſti reſurgant?

Lectiones Curſorias in Io. XX. 17.

CHRISTIANVS HENRICVS ab ELSWICH.

Rendesburgum habet patriam, in qua hodie ſanctiori Symmyſtae munere fungitur. Septem integros annos in Athenaeo noſtro exegit tam inſigni fructu, vt deinde doctores Academicos

Roſtochienſes, Lipſienſes & Ienenſes vtilisſime poſſet audire. Duplex edidit Roſtochii publicum ſpecimen, dum an. 1703 *Chriſtian. Henr. Tielcken*, Praeſide *Oratoriae Definitionem* publicae disquiſitioni exhibuit, & an. 1704 *Ahmet Ben Abdala Epiſtolae examinatae* partem primam (ſecundam noſtri frater, mox laudandus, vindicauit) auſpiciis B. *Grapii* defendit. Acceſſit Lubecae deinceps tertium, nimirum *Goetzii* noſtri *Diſſertatio Hiſtorico-Theologica errores, quos Io. Bannier, ſartor Stargardienſis, Lubecae an. 1625 propoſuit, exhibens & refutans* in Colloquio aſſerta. Vid. Nou. Lit. Mar. Balth. 1703. p. 196. 1704. p. 260. 1707. p. 255.

IOANNES HERMANNVS ab ELSWICH.

Chriſtiani Henrici modo laudati frater, vir maximis in rempublicam ſacram pariter ac litterariam meritis inclytus, & praeſtantisſimis hodie Theologis, Philologis ac Philoſophis accenſendus, lucem Rendesburgi in Holſatia aſpexit. Parentes habuit *Henricum ab Elswich*, Eccleſiaſten Rendesburgenſem meritiſſimum, & *Margaretam Molleriam*, feminam ornatisſimam. Patriam in ipſa iam pueritia permutauit cum ciuitate noſtra Lubecenſi, in qua & eruditus fuit, &, tum aliis rebus, tum illuſtri in primis Schabeliano (quo per multos annos liberalitate Patronorum perſpicientium, beneficium hoc ita collocari, vt certisſime peregregius inde ad Eccle-

ſiam

ſiam & rempublicam litterariam fructus redundet) ſtipendio eximie adiutus. Vtrumque, noui, gratisſima eum mente agnoſcere, & toti huic Ciuitati, omnibus in ea optimarum artium earumque cultorum Patronis, ac Athenaeo etiam noſtro optime cupere. Didicit in eo annos haud paucos fuitque clasſium plerarumque alumnus & pius & modeſtus & induſtrius. Supremae cum eſſet ciuis, publice dedit praeclarum eruditionis non vulgaris documentum, poſtea laudandum, quod vna cum aliis ſpeciminibus paullo poſt in Academiis editis inter eruditos praecoces locum egregium ei aſſignat. Magnum quoque doctrina eius cepit incrementum per Lectiones in Auditorio Cathariniano a ſumme reu. Praeſule noſtro *Goetzio* habitas, quarum honorifica in Progr. maxime reu. Wernsdorfii, vitam Noſtri enarrante, mentio iniicitur. Multa igitur iam eruditione perpolitum eum accepit Academia Roſtochienſis, cuius doctores praeſtantisſimos diligentisſime audiuit, & praeſertim *Io. Fechtium*, Theologum incomparabilem, qui eum non auditoris ſolum, ſed ſimul filii inſtar habuit, ac *Zach. Grapium*, famae immortalis virum, quo praeſide *Ahmet Ben-Abdala Epiſtolam ad Serenisſimos Auriacum & Portugalliae Principes* Diſſertatione Critico-Theologica an. 1704 examinauit. Continuauit ſtudium indefeſſum Lipſiae, quae Academia ſuis per biennium eum annumerauit, & Ienae, vbi magni nominis Theologo, *Foertſchio* in primis adhaeſit.

Tandem

Tandem venit Wittenbergam, *ab eaque*, sunt verba Wernsdorfii l. c., *non solum doceri, sed & cumprimis ornari voluit.* Reliquit enim mox discentium subsellia, &, accepta, quam dudum meruerat, laurea Philosophica, alios docere coepit. Hoc faciebat tanta cum gloria, vt Philosophicus Ordo, doctrinae & ingenii dotes admiratus, eum an. 1712 lubentissime sibi adsciseeret. Quanto cum applausu docuerit, & quam stupenda diligentia in litteras incubuerit, malo verbis Wernsdorfii, quam meis declarare. *Suo*, inquit, *exemplo testatum fecit, non male illum docere posse, qui bene didicit. Siue enim profana, siue sacra praelegere vellet, ad eum audiendum iuuentus studiosa confluxit, nouem quotidie horis in eam instituendam impensis, cum interim de suo in persequendis litteris feruore nihil remitteret, nocturnoque insomnis eliuo, quod Poëta dicit, immoraretur. Illa sane scholarum multitudo non obstitit, quo minus & Dissertationes numero plurimas scriberet & iustos libros conficeret, mirantibus omnibus, qui tot tantisque ferendis laboribus par esse possit, quod a natura accepit, corpusculum.* Maximo igitur vsui fuit Wittenbergensi Academiae, & porro fuisset, nisi diuinum Numen eum iussisset sacrum munus obire. Equidem plus simplici vice doctor publicus, & paullo ante Stadensem vocationem Isenacensis Seminarii Inspector, fuit expetitus. Sed Stadam Deus reddere volebat adeo felicem, vt tantum virum an. 1717 sacri ordinis decus & Antistitem primarium in Aede primaria SS. Martyrum Cosmae ac Damiani

ni acciperet, isque gloriam illuſtrium anteceſſorum *Michaelis Hauemanni*, poſtea ſummi per Ducat. Brem. ac Verd. Praeſulis, quem Superintendentem Generalem vocant, *Michaelis Rageri*, poſtea Superintendentis Verdenſis, *Ioan. Chriſtoph. Ottonis*, SS. Theologiae Doctoris & antea ſanctiorum litterarum Profeſſoris publici Roſtochienſis, *Sam. Baldouii*, Theologiae Doctoris & deinceps Superintendentis Verdenſis, aliorumque, propagaret atque amplificaret. Noſter diuinae voluntatis manifeſtisſima indicia cernens, dulcisſimam Wittenbergam, cum pro licentia ſummos in Theologia honores conſequendi non ſolum praeſide ſumme reuerendo *Georg. Frid. Schroero* de *Iure Epiſcoporum in Gallia a Papa ad Concilium prouocandi* ſumma cum laude diſputaſſet, verum etiam reliqua omnia, quae ab horum honorum candidato requiruntur, ſimili ratione confeciſſet, reliquit & contulit ſe Stadam, vbi hodieque ſacro munere laudatisſime fungitur. Scriptorum eius, in quibus limatum iudicium, cum profunda eruditione certat, hae ſunt inſcriptiones:

ישועה בן־אוני *i. e. Ieſus Dolorum Filius, quos vt in triſtisſima crucis ara ſalutem repararet Adamigenis re & vere* בן ימין *i. e. Filius Dextrae, ſuſtinuit; heroico metro ex cathedra Gymnaſii Lubecenſis inferiori an. 1703 memoriter decantatus.* Lubec. 4. Poëma hoc Notis Philologico-Theologicis illuſtratum eſt. Mentio eius fit in Nou. Lit. Mar. Balth. 1703. p. 96.

Breuiarium Controuerſiarum praecipuarum ac modernarum

narum. Ien. 1706. 4. Defendit hoc ſub praeſidio laudati Foertſchii.

Melchiſedecus ab iniuria Petri Iuriaei defenſus. Wittenb. 1710. 4. Diſſertatio haec tam a Cl. Starckio in Nott. ad Epiſt. ad Hebr., quam a Ven. Deylingio in Obſeruatt. Sacr. adſcribitur Clariſſimo Philologo *Io. Chriſtoph. Wichmannshauſio*, ſub cuius tamen praeſidio, more in Academiis recepto, eſt tantum defenſa, ceterum tota, quanta quanta, ab Elswichio elaborata, quod vel ſolus ſtilus, a ſcriptis Wichmannshauſianis eam ſatis diſtinguens, oſtendit. Vti vero ſequentes de Melchiſedeco Diſſertationes Elswichianae Deylingio non diſplicuerunt, ita prima ei adeo placuit, vt eius contenta fere omnia (vna cum typographico errore, quo auctor Hiſtoriae Criticae Melchiſedeci *Ludouicus Burgeſius* ſcriptus eſt *Burgiſius*), l. c. P. II p. 54 ſqq inſeruerit. Comp. p. 48. 49.

Melchiſedecus ab Henr. Hulſio minus feliciter in Henocho detectus. ibid. 1710.

Melchiſedecus ab Henr. Hulſio in gentili Mythologia fruſtra quaeſitus. ibid.

Diſſertatio de Recentiorum in Nouum Foedus critica. ibid. 1711. 4.

De Formula Concordiae in Dania nunquam combuſta, aduerſus quorundam, & in his Godofredi Arnoldi criminationes Diſputationes duae. ibid. 1711. Has Diſputationes deinceps valde auxit & integrum ex iis fecit Tractatum, hoc titulo inſignitum: *De Formula Concordiae, num in Dania*

nia sit combusta, Disquisitio Historica, ante hac publicis Disputationibus exhibita, nunc recusa multisque accessionibus aucta. Wittenb. 1616. 4. In hac Disquisitione etsi attulerit argumenta, quae nisi admittantur, actum est de omni fide historica, ac quaeuis ineptissima putidissimaque fabula pro vera historia habenda, nuper tamen facetus quidam censor in Historia Danica infringere ea laborauit. Auctor pro candore suo in Praefat. monuit, *se facile qualemcunque Disquisitionem cuiuslibet, sed extra partes positi, iudicio submittere.* Vtrum hic censor ad eos, qui partium studio non sunt addicti, pertineat, iudicent, qui eum norunt. Ego plane non dubito, quin Elswichius sit sufficientibus praesidiis instructus, quibus sententiam defensam porro queat defendere ac munire, si velit censorem censura excipere & responsione dignum iudicare.

Obseruationes Philologicae super clarissimi viri Bernh. Henningi Witteri Commentatione in Genesin. Witteb. 1712. 4. Obseruatio 1 est *de Eloquentia Mosis: 2 de Scopo Librorum Mosis: 3 de Lingua Hebraea non Cananaea: 4 de Auctore Cap. I. Genes: 5 de Origine Nominis* אלהים: 6 *de* רוח אלהים. Witteri, prementis Clericana, Hardtiana, Spenceriana, Marshamiana vestigia & receptas adhuc sententias audacter reiicientis, nouaturientes & temerariae sacri codicis interpretationes licet summa modestia a Nostro essent confutatae, ille tamen mox singulari scripto suas hypotheses defendere contendebat

bat & modestiam ac studium perducendi ipsum ad veritatem non modestia ac gratia, sed conuitiis compensabat. Quare a Nostro publici deinceps iuris fiebat

Epistola Apologetica ad Henning. Bernhardum Witterum, Pastorem Hildesiensem, in qua Obseruationes Philologicae ante hac editae a criminationibus eius & cauillationibus vindicantur. Witteb. 1713. 4. Respondit Witterus, ita tamen, vt non veritatis, sed calumniae studio delectaretur. Quare noster eum merito habuit indignum, cui nouum scriptum opponeret. Generatim modo quaedam regessit in Philosophumenis mox adducendis p. 21 sqq. De tota hac controuersia Elswichio-Witteriana euolui possunt Relatt. Innox. 1713. p. 1020 sq. & 1714. p. 843 sqq.

Vindiciae Diascepseos Hunnianae aduersus D. Sam. Strimesium. Wittenb. 1712. 4. Vid. Relatt. Innox 1712. p. 659.

De Fanaticorum Palinodia Dissertatio Historica. ibid. 1714. 4. Contenta leg. l. c. 1714. p. 336 sq.

De Inscriptione Apocalypseos Ioanneae. ibid. 1715. 4.

Philosophumena viris sanctis temere afficta. ibid. 1715. 4.

Dissertatio, qua communior de Magis Stella duce Bethlehemum profectis sententia propugnatur. ibid. 1716. 4. Refutatur in ea nouaturiens sententia Philologi Iulii, Magos pro Iudaeis, aut Iudaeorum potius in Persia aut Syria commorantium legatis habentis.

Sermo

Sermo funebris ad tumulum Iacobi Wolditcii, Sommerstadia-Cimbri habitus. ibid. 1716. 4.

Maturini Simonii de Literis pereuntibus libellus Praefatione & Annotationibus illustratus. Francof. & Lipſ. 1716. 8.

Controuerſiae de Anima recentiores. ibid. 1717. 4.

Das Bild und die Uberſchrifft rechtſchaffener Lutheraner, an dem Lutheriſchen Jubel-Feſt der Gemeine GOttes in der Haupt-Kirchen zu SS. Coſmae und Damiani in Stade vorgetragen und erkläret. Stad. 1717. 4. pl. 12½. Haec concio elegantibus ac copioſis Annotationibus eſt exornata.

Epiſtolae familiares varii, Theologici potisſimum argumenti, nunc primum ex Manuſcriptis editae Notisque illuſtratae. Wittenb. 1719. 8.

Exſpectare nos viri celeberrimi induſtria, praeter alia, haec praeclara ſcripta iubet:

Hiſtoriam Eccleſiaſticam Holſatiae, de qua ipſe in Praef. Disquiſ. de Form. Concord. ſcribit: „Dudum eſt, ex quo animum induxi meum „Hiſtoriam Eccleſiaſticam Holſatiae, ratio„ne non disſimili, qua Pruſſiacam Hartkno„chius perſecutus eſt, conficere. Scio, in „eundem laborem incumbere celeberri„mum quendam Cimbriae noſtratis Theo„logum, quem maioribus inſtructum eſſe „ſubſidiis, non eo inficias. At forſan & hic „obtinebit, quod Auguſtinum dixiſſe, quam„vis in alio argumento, conſtat, vtile eſſe, „plures libros a pluribus fieri, diuerſo qui-

 dem

„dem ſtilo, ſed re vna eademque, vt ita ve„ritas & rerum geſtarum memoria ad plures „transmittatur. De hac Hiſtoria merito op„tima quaeque ſibi promittit Cl. Raupachius l. c. p. 44.

Hiſtoriam Philoſophicam. Hanc non vulgari modo pertractabit, ſed magno ſemper ſtudio eruet Philoſophorum dogmata praecipua, e quibus reliqua deinceps emanarunt. Contigit mihi quaedam eius initia legere, in quibus ingenium pariter ac eruditionem ſum admiratus. Erit huius operis in Theologia quoque vſus inſignis. Praeclara de eo ſibi iam ante aliquot annos polliciti ſunt Celeberr. Auct. Relatt. Eruditar. 1716 m. Aug. p. 277 ſcribentes: *Der Herr Joh. Hermann von Elswich, ein gelehrter Adiunctus, wird eine Hiſtoriam Philoſophicam ans Licht ſtellen. Seine Philoſophumena Viris ſanctis temere afficta und viele andere wol ausgearbeitete Diſſertationes zeigen zur Gnüge, daß man ſich etwas gutes in dieſem Stücke von ihm zu verſehen habe.*

Andreae Hyperii de Theologo, ſeu de Ratione Studii Theologici Libros, Quos *libros*, inquit ipſe in Nott. ad Conc. Iubil. p. 15, *elegantes plane & aureos cum acceſſionibus non paucis, formis iterum deſcribi curabo.*

Pſelli Librum de Operationibus Daemonum. Huius non ſolum textum ex MSS. emendatum accurate exhibebit, ſed loca etiam haud pauca illuſtrabit.

IOAN-

IOANNES HENRICVS ENGENHAGEN.

Lubecensis, post absoluta Scholastica pariter ac Academica studia (in quibus commemoranda est sub praesidio *Vit. Henric. Hasenmülleri* ab ipso ventilata *Dissertatio Philologico-Historica Opera Sabbathum depellentia ex mente Ebraeorum explicans* Ien. 1708) an. 1715 in Colloquio ordinario defendit summe reu. *Goetzii*, Praesulis nostri, *Eclogam de Reliquiis Pharaonis indurati*. An. 1717 demandata ipsi sunt munia Pastoris Geninensis, prope Lubecam.

CHRISTOPHORVS ANTONIVS ERASMI.

Prodiit in lucem Lubecae an. 1649, & *vt primum*, sunt verba B. Suantenii in Progr. Funebr. ap. Goetz. in Elogiis Theologor. Germanor. p. 698, *e pueris excessit, solertissima parentum cura ad egregium pietatis morum & doctrinae studium perdiligenter assuefactus, tam contento bene profecit cursu, vt vlteriori ac solidiori scientiae adultioris cultu perpoliendus traderetur fidelissimae institutioni virorum tunc in Gymnasio & Ephebeo Lubecensi enixe desudantium meritissimeque insignium Bangert, Nottelmanni & Polzii.* Continuauit deinceps studia bene coepta in Academia Iulia, quam an. 1669 permutauit cum Wittenbergensi, in qua D.

Ioannem Diecmannum contubernalem habuit & an. 1670 ſummos honores Philoſophicos adeptus eſt. Patria tandem iuſtum laboribus eius ſtatuit pretium, quippe in ea an. 1676 Symmyſta Petrinus & an. 1687 Archi-Diaconus fuit renunciatus. Obiit an. 1703, laude muneris pie ac diligenter geſti condecoratus. Plura vid. ap. Goetz. l. c. p. 697 ſqq. Collectores Nouor. Liter. Mar. Balth. 1703. p. 47 ſq, qui eum *virum optimum atque iudicii acrimonia & candoris laude valde conſpicuum* appellant. Auctor eſt

Diſſertationis de Moralium Virtutum Vitiorumque Gradibus. Witteb. 1670. 4. Praef. Sim. Frid. Frenzelio.

Diſſertationis Theologicae de Certitudine Salutis. ibid. 1672. 4. Praef. Io. Andr. Quenſtedio. De hac Diſſertatione quaedam annotauit Goetzius in Biblioth. Anti-Pontif. Presbyter. Lubecenſ. §. 5. p. 8.

IOANNES PHILIPPVS ERASMI.

Filius *Chriſtophori Antonii* modo commendati, qui poſteaquam per Lycei noſtri doctores ſcholaſticos & deinceps Academicos fideliter eſt inſtitutus, Wittebergae liberalium artium Magiſter euaſit, auſpiciis *Phil. Lud. Hannekenii*, magni nominis Theologi, *de Conſummatione morientis in Cruce Seruatoris vere repraeſentata & a variis corruptelis vindicata* an. 1700 publice diſſeruit, & in

in patria summe reu. *Goetzii* nostri *Disquisitionem Historico-Theologicam, Quantum Moniales debeant Luthero?* an. 1707 d. 4 Aug. defendit, sanctarum Virginum in Coenobio D. Ioannis Ecclesiastes fuit initiatus. Vid. Nov. Lit. Mar. Balth. 1707. p. 319.

CHRISTOPHORVS ANTONIVS ERASMI.

Eiusdem *Christophori Antonii* filius, qui electus an. 1714 m. April. Petrinus Ecclesiastes paterna pressit vestigia. Fundamenta litterarum, quibus studia Academica feliciter potuit superstruere, in nostro quoque Athenaeo iecit. Mentio eius fit in Nou. Lit. Mar. B. 1707. p. 352 ob laudati *Goetzii* nostri *Vindicias Formulae Baptismalis contra Christianum Bullum, Femariensem, Laicum & Helciarium institutas* an. 1707 in Colloquio ordinario vindicatas. Defendit quoque, iura ordinationis ecclesiasticae prensaturus, an. 1714. d. 12 April. eiusdem *Goetzii Dissertationem Theologicam de Auctore Fidei Magorum ex Matth. II. 1-12.* An. 1716 Archi-Diaconus constitutus est.

HENRICVS ESCHER.

Pastor Travemündanus an. 1705 defunctus, cum septuagesimum aetatis annum ageret. Fuisse eum olim Gymnasii nostri ciuem, inde luculenter apparet, quod in Nou. Lit. Mar. Balth. 1705. p. 190 affirmatur, eum *in Lyceo Lubecensi gymnastico bonis artibus imbutum esse.* Quod

non infelix extiterit humanitatis cultor, ostendunt ipsius *Carmina*, ob quae l. c. p. 191 *de studio poetico insigniter meritus* dicitur. Plura de eo vid. l. c. vbi ipsius vita. Conf. quae in laudem eius scripsit B. Casp. Lindenbergius.

IOANNES FISCHER.

Patriam agnouit Lubecam, & studiorum etiam nutricem. Cognoui hoc certissime ex Testimonio an. 1666 dato B. Augusti Varenii, quod exstat in scripto eristico Stadensi, cuius titulus: *Aergerliche Zänckereyen in Religions-Sachen* 1669. 4. In hoc testimonio inter alia scribit Varenius: *Decimus tertius iam nunc labitur annus, quando e schola patria, in qua sub accuratissimo Bangerti p. m. oculo eleganter profecerat, in nostram immigrauit Academiam.* Idem docet Gratulatio Bangerto, Rectori renunciato, Hamburgo transmissa. Huius dabo vltimos versus, quia de statu, qui fuit isto tempore, Scholae quaedam etiam docent:

Ille Deus noster, cuius sunt cura Lycea,
Adsiet, O Bangerte, Tibi, praecor, augeat illa
Quae dudum dederat mentis pulcherrima dona,
Det vires vegetas, det successusque laborum
Felices, crescat per Te laus, gloria Ibovae.
Turpis barbaries, atque illa licentia morum
Per Te tollatur feliciter; ἔργα Lycei
Vestri sint pietas, virtus, cultusque Iehovae.
Ominor hoc certo; quia tu moderaris habenas

Vir

Vir supra doctos doctus, pietate celebris;
Et precor, huic voto pondus velit esse Iehova!

Inter plurimas distractiones Praeceptori meo fidelissimo Lmque gratulabundus deproperabam, ei felices & perennes honores ex animo apprecatus

M. Ioh. Fischer.

Cursum Academicum emensus, vixit etiam aliquamdiu Stadae tanquam ordinis sacri candidatus, vbi ob Baxterianum libellum ex Anglico in Germanicum sermonem transfusum in fanaticismi suspicionem incidit, de quibus turbis citata scripta eristica euolui possunt. Factus est deinceps SS. Theologiae Doctor, Superintendens Sulzbacensis & tandem Superintendens per Liuoniam Generalis, Supremi Consistorii Regii Praeses & Academiae Dorpatensis Pro-Cancellarius. Auspicii causa Rigae an. 1674. d. 23. Iul. pro sacra concione Ier. XV. comm. 19. 20. 21 interpretatus est. Edidit.

Libellum de Abnegatione sui Richardi Baxter in sermonem popularem translatum. Hamb. 1665. 8. Francof. ad Moen. 1682. 12.

Versionem S. Scripturae V. & N. T. Letticam. Rig. 1689. 4. Hanc *insigne prorsus opus & ob Ecclesiae commodum aeternis laudibus dignum* vocant Auctores Novor. Liter. Mar. Balth. 1699. p. 194.

Dogmatum fidei Christianae ex S. S. iuxta seriem Aug. Conf. repetitorum Decadem primam. Rig. 1676. 4. *Secundam.* ibid. 1690. 4.

Preces & Suspiria ad Io. Arndii libellum de genuino Christianismo. ibid. 1679. 8.

Concionem de Christiane fidelium subditorum officio ex 2. Reg. XI. 17. ibid.

Imaginem boni felicisque Monarchae. ibid. 1697. fol.

Responsionem ad Epistolam C. Conscientiosi sub nomine *Christ. Aletophili.* Vid. Franckius de Studios. Theol. p. 70.

Conf. de hoc Fischero B. Zach. Grapius, vel potius Ionas Ioan. Phragmenius in Rig. Literat. Rostoch. 1699. 4. pag B 2 sq. Ioach. Meierus in Diss. de Claris Fischeris p. 33.

GABRIEL FITZMANN.

Lubecensis, Abrahami Hinckelmanni & Enoch. Suantenii olim fuit discipulus. Sub huius auspiciis an. 1688. d. 25 Octobr. *de Effato Flau. Claud. Constantini: Difficilia, quae pulchra* pro concione PP. CC. & aliorum honestissimorum virorum dixit. Ex Athenaei nostri alumno factus est Academicus ciuis. Sacrum munus Travaemundae, cuius Ecclesiae nunc primo loco praeest, an. 1704 suscepit. Vid. Mellii Nachricht von Lûbeck p. 242.

IOANNES FLEEG.

Patrium Lyceum Lubecense posteaquam eum habuit alumnum, Academico itineri se accinxit.

accinxit. An. 1705 Kalchorſtenſis in Mecklenburgico Ducatu Paſtor fuit electus. Euulgauit

Statum Fidelium ſub Veteri & Novo Teſtamento. Lubec. 1705. 4. Philologi Iulii ſententia de Exod. XIII. 21 paradoxa hic etiam examinatur ac refutatur.

Den ſeine Kirche ſchützenden Meſſiam ex Pſ. II. 7. 8. Lubec. 1705. 4. Adiectae ſunt variae eruditae Obſeruationes Theologico-Philologico-Hiſtoricae, quas inter notabilis eſt ea, qua de *Carolo Catzio*, ſub cuius nomine circumlata eſt *Verſio N. T.*, p. 26 ſq. his verbis exponit: *Eſt ille Carol. Catz natione Belga Hiſp. prope Traiect. ad Moſ. e nobili proſapia & in Pontificia religione natus & educatus, a patre vero exhaeredatus, vel, vt ipſe dicebat, deſerens patrimonium propter Chriſtum. Domi enim cum duriter tractaretur propter enthuſiasmos & alia, aufugit. Reuocatus, Romamque miſſus eſt cuſtodiae ibi datus, effractis repagulis, abiit, exceſſit. Hinc exhaeredatus circumuagatus dein in Belgio, vbique reperit ſocios, in primis Oligero Pauli, Dano, ipſiusque aſſeclis ſe adiunxit. Habebat enim ille Oliger, de quo ſuſtentaret eiusmodi homines, quippe qui vltra ſeptem millia thalerorum Amſtelodami conſumſit. Quocum etiam tandem carceres publicos Amſtelodami ſubire debuit, cognitaque cauſa ex vrbe proſcriptus. Latebat tamen meo tempore hinc illinc, crebriusque cum eo ſermones caecidi. Homo, facie totus melancholicus, ceterum rudis, Latina*

parumper doctus, Graeca nec intelligere, Ebraica nec scribere recte, nec legere poterat. Vnde nec ipse auctor est versionis Noui Testamenti, sed pleraque opera Wilhelmi Hommae, concionatoris quondam Mennonistarum Amstelodami (cui & Oliger ille potiora sua debet) aliorumque, secundum editionem Christiani Hartsockers, ministri Ecclesiae Remonstr. apud Rotterodamenses, prodiere. Quae tum ipse mihi, tum intimi ipsius socii retulere. Conf. Nou. Lit. Mar. Balth. 1705. p. 254.

Das Wolseyn einer beharrlich bey JEsu bleibenden Seelen. 1706. fol. pl. 15. Vid. cit. Nou. Lit. 1706. p. 383 sq.

AVGVSTVS HERMANNVS FRANCKE.

Hunc Theologum Halensem Lubecae natum & in schola patria eruditum esse satis notum est. Noti sunt etiam ipsius conatus non solum eruditis, sed & ipsis hominibus plebeiis, vt adeo non opus sit, eos hic prolixe commemorare. Noti praeterea sunt doctis, indoctis eius libelli vernaculo sermone editi & passim recensiti a Relationum Innoxiarum Auctoribus, qui laudanda consueuerunt laudare, scapham autem appellare scapham. Vid. recensiones

Offentlichen Zeugnisses von dem Worte GOttes. Hal. 1702. 4. an. eod. p. m. 425 sq.

Buß-Predigten. Hal. 1706. 4. an. eod. p. 461 sq.

Abbildung eines Studiosi Theologiae. Hal. 1711. 12. an. 1712. p. 164. sq.

Gnade

Gnade GOttes in Christo JEsu. Hal. 1714. 12. an. eod. p. 802. sq.

Cum esset Orientalium Linguarum Professor, edidit nonnullas Dissertationes Philologicas *de Praefixis Hebraeorum eorumque diuersa significationis ratione: de Emphasibus Scripturae* &c. quae, vna cum aliis, sine dubio enumeratae sunt in edito Scriptor. Professs. Halenss. Catalogo, qui mihi nunc non est ad manus.

IOANNES GOLDSTEIN.

Ruthena-Guestphalus, tenuioris conditionis parentibus editus & in iuuentute ac adolescentia cum paupertate, multis vix ac ne vix quidem toleranda, conflictatus, adeo vt in Progr. Funebr. Nicolai Schûtzii D. & Prof. Iuris Rostoch. ap. Celeberr. Goetzium in Elogg. Theologor. p. 142 *trium assium dominus* & p. 143 *saepe nunc fame, nunc siti, nunc aliarum rerum penuria vexatus* dicatur. Didicisse eum quoque Lubecae ex l. c. p. 142 apparet. Eluctatus sua virtute & Dauidis Chytraei Theologi, Polyhistoris, ope e miseria, & res suas in Rostochiensi Academia egregie exsecutus, primum munus Rectoris Scholae Wismariensis, post elapsum dimidium annum an. 1595 Pastoris Nicolaitani Rostochiensis & tandem etiam an. 1618 Praesulis Rostochiensis adeptus est. Excessit vita an. 1635. Plura vid. l. c.

IACO-

IACOBVS GÖTTEN.

Lubecae natus est an. 1629 d. 26. Iul. parentibus honestis *Anboldo* & *Anna Götten*. Athenaei nostri ab an. 1638 vsque ad 1648 ciuis fuit, *Henr. Bangerti* gratus auditor, vt apparet ex Epitaphio, quod in honorem Bangerti an. 1665 ex crurifragio mortui iuris fecit publici, in cuius titulo se, licet iam per septennium Ioanneus Ecclesiastes fuisset, Bangerti discipulum vocare non erubuit. Etsi vero per hunc & alios magistros esset humanioribus litteris satis instructus, fama nihilominus *Io. Micraelii* (cuius conuictu vsus est) eum pertraxit Sedinum, in cujus Paedagogio annum fere consumsit. An. 1649 Rostochiensis Academiae doctoribus, & praesertim *Casp. Mauritio*, vsus est. Idem fecit an. 1650. 51 & 52 Lipsiae, vbi *Io. Hülsemanno* in primis se addixit; vti subsequenti anno Argentorati *Io. Georg. Dorscheum* suspexit. Neque voluit praetermittere occasionem audiendi celeberrimum Philologum & Hebraeae linguae statorem *Io. Buxtorfium*, cuius caussa an. 1653 Basileam accessit. Inde profectus est in Belgium, vbi per doctissimos viros ipsius litterae creuerunt. Grati, quem erga praeceptores bene meritos habuit, animi indicium fecit luculentum in Praef. L. 1 Obseruatt. his verbis: *Non possum, quin studiis & desiderio discendi meo gratuler de benignitate praeceptorum, qui Lipsiae, Argentinae, Basileae & in Belgio sufficientem & liberam supellecti-*

pellectilis suae librariae ad vsum fructum mihi copiam concesserunt, quod primarium istorum beneficium lubens praedico & istius nomine grati animi indicia circumfero. Kilonii eum quoque litteris nauasse operam certum est, licet tempus definire nequeam. Ita enim ipse scribit in Dedicat. L. II Observatt: *Φιλομαθίαν vt declararem publiceque iterum testarer, Kilonium, Musarum sedem, accessi adiique, vt discerem.* Cum in Belgio esset, Iesuitae periculo plenas ei insidias struere non sunt veriti, eundem ad sua sacra, non suasores, sed tortores, perducere conati. Docet hoc *Ioannes Koenius* in breui Vitae Gottenianae descriptione, quae in titulo Carminis funebr. German. exhibita, his verbis: *Zu Antwerpen hat Er viel Trübniß und Widerwärtigkeit von denen Jesuiten erlitten, die ihn in einem verschlossenen Gemach verwahret, und hiedurch aufs äusserste sich bemühet, ihn von der reinen Evangelischen zur Römisch-Catholischen Religion zu bringen, wie wol GOtt endlich ihn wunderlich herausgeholffen.* Ipse Göttenius in Praef. L. II Obseruatt. *nisi*, inquit, *Spiritus Dei cor meum rexisset, Φιλομαθία discendi ardor conscientiae vim attentasset, cum Societatis IEsu, vt dicuntur, fratres omnem lapidem mouerent, vt me a patriae confessione fidei ad suam traducerent: cuius rei indicium adhuc seruant in celebri Brabantiae ciuitate libellum, in quo Praeceptorum & Amicorum nomina, amoris indicia, scripta sunt, quem mei loco obsidem seruent, cum frustra antehac de reddendo illo, etiam cum sumtibus, laboraverim.* Conf. saepius

pius laudati Goetzii Parallelism. Iudae Proditor. & Roman. Eccleſ. p. 17. An. 1658 d. 10. Iun. Ioanneus Eccleſiaſtes in patria eſt electus, quo munere non ſine laude geſto an. 1671 d. 1 Febr. (vid. etiam Wittenii Diar. Biogr. ad h. a. & d.) cum vita ipſa eſt priuatus. Quaedam eius elogia in Goetzii egregia Commentat. de Staupitio p. 46 & Frid. Thomae Analect. Guſtrou. p. 51 deprehenduntur. Maximum ei impertivit Io. Georg. Dorſcheus, ſcripto hoc ei mnemoſyno:

Ire ſacros fontes guſtatum, coelitus ortis
Imbuere ingenium ſufficienter aquis;
Ire vetuſtatis Graecae ſimul atque Latinae
Per ſpatia immenſis obuia diuitiis.
Atque illinc ritus veteres moresque ſacrorum
Primitus exhibitos ſuauiter eruere;
Conſuetudinibusque nouis oſtendere matrem,
Vt lux antiquis rebus & inde fluat;
Detegere errorum ſimul incunabula, queis ſe
Nunc Latium magna ſedulitate comit;
Hoc, Göttene, tuum ſtudium, tua cura perennis,
Qua mihi iam dudum cognitus, ardet adhuc.
Auctum demonſtrat ſpecimen, quam plurima noſcas,
Et magis atque magis noſcere diſcupias.
Ardor is in coelum protenſus, denique Iovam
Ad variae accendet proſperitatis opes.

Ingenii eius monumenta ſunt

Obſer-

Obseruationum Theologo-Historicarum Decas. Lubec. 1655. 4.

Obseruationum Liber I, in quo ex Patribus Graecis & Latinis, Conciliis, Antiquariis, Theologis, Historicis, Philologis, varia ad condimentum studiorum grauiorum. Lubec. 1661. 8. In hoc Libro Decas integra, cum multis Accesſionibus, est repetita.

Obseruationum Liber II. Slesuic. 1667. 8. Liber III promissus quidem est, sed nunquam editus.

Spaar-Stunden kurtzer Betrachtungen, wie man sich gottselig gegen GOtt, züchtig gegen sich selbst, gerecht gegen den Nechsten in der täglichen Ubung des thätlichen Christenthums zu verhalten habe. Lubec. 1663. 12. 1670 & Lipſ. 1691. Pars II harum Meditationum, quae non contemnenda ex Historia & Antiquitate legenda dant, post mortem auctoris per *Franc. Woergerum* prodiit Lubec. 1671. 12.

HENRICVS ANHOLD GÖTTEN.

Didicisse eum in Lyceo patrio Lubecensi, ex Albo nostro cognoui. Redditus patriae post confectum studiorum Academicorum curriculum an. 1707. d. 30. Mart. *Goetzii* nostri *Exercitationem Theologicam de Remisſione Peccatorum per Christum fide apprehensum consequenda ex Act. X. 43* in Collo-

Colloquio Ordinario defendit. Hodie Neostadii in Holſatia Paſtoris munere fungitur.

DANIEL GRANOVIVS.

Paſtor quondam fuit templi primarii Ploenenſis, obiitque an. 1704. Vita eius extat in Nou. Lit. Mar. Balth. 1704. p. 314, vbi etiam haec ad noſtrum inſtitutum ſpectantia verba deprehenduntur: *Iactis in ſchola patria Ploenenſi ſub manuductione Simonis Chelii fundamentis, miſſus fuit ad Lyceum Lubecenſe, in quo docentibus tum temporis Praeceptoribus M. Sebaſt. Meiero, M. Henr. Bangerto & Io. Polzio induſtriam ſuam integrum ſexennium probauit.*

PHILIPPVS LVDOVICVS HANNEKENIVS.

Etſi neque in Memoria huius meritisſimi Theologi ap. ſumme Vener. Pippingium in Triad. Decad. p. 1652 ſqq, neque in eleganti Oratione, quam in funere eius habuit maxime reu. Klauſingius, commemoretur, quod Gymnaſii noſtri fuerit ciues, per certa tamen indicia & teſtimonia non fallacia virorum fide dignisſimorum ſum edoctus, quod Athenaei noſtri illuſtribus alumnis hic magnus in ſacra republica vir ſit accenſendus. Etenim Marpurgi an. 1637 natus cum parente MENONE HANNEKENIO, Praeſule nunquam ſine veneratione nominando, Lubecam an. 1646

1646 profectus publicae institutionis particeps factus est, vsus eadem vsque dum an. 1657 Giessam accederet. Giessa venit Lipsiam, Lipsia Wittenbergam, Wittenberga Rostochium, summos Theologos *Fewerbornium*, *Haberkornium*, *Mislerum*, *Hülsemannum*, *Kromayerum*, *Calouium*, *Meisnerum*, *Quistorpium*, *Wasmuthum* nactus praeceptores. Ingenium, quo gaudebat, acutissimum excellentissimumque ad edenda varia elegantissima specimina eum non poterat non impellere. His viam sibi parabat ad munus Professoris litterarum humaniorum, quod an. 1663 Giessae obtinuit. Cum vero humanitatem ita excoleret, vt sacrorum studiorum non penitus obliuisceretur, fiebat, vt, interiecto aliquo tempore, ipsi demandaretur prouincia Theologiam extra ordinem docendi, quam an. 1670 insignia ordinarii Theologiae Professoris & Ecclesiastici Senatus Assessoris, mortuo autem Mislero Professoris primarii & Antistitis sacrorum generalis munia exceperunt. Fama eius longe lateque vagata migrauit etiam ad IOANNEM GEORGIVM IV Saxonem, qui eum an. 1693 vocauit Wittenbergam, quam illustrem sacrorum puriorum sedem & vindicem ad annum vsque 1706, quo aetate pariter ac meritis grauis mundum reliquit, fidelissime docendo, accuratissime scribendo, fortissime hostes veritatis refutando, tanquam magnum Ecclesiae Lutheranae lumen, collustrauit. Vnde etiam maxima laudum eius copia apud citatos eius praecones deprehenditur.

Has laudes possem facile aliis augere, si opus esset. Malo hic repetere, pace laudati Pippingii, indicem scriptorum, ordine fere eodem, vna tamen alteraue obseruatione auctum, quo huius excellentissimi Theologi, cuius nomen Lubecae, quae eum olim fouit, hodieque Hannekenianam posteritatem inter ornamenta sua refert, tam gratum quam honorificum, labores & merita etiam ex Athenis Lubecensibus possint plene cognosci. Perpauca enim tantum in Lexic. Erud. Germ. p. 922 afferuntur. Sunt autem scripta edita

Constantius Sophus, s. de Constantia Sapientis Tract. Fabulosus. Giess. 1658. 8.

Epitome Historiae Arianae, in qua vita, mores & mors Arii traduntur. Giess. 1660. 8.

Iesuita Conuersus, dolens ineptias traditionum spuriarum. Rostoch. 1662. 12.

Annotata Philologica in Iosuam, cum Eruditione de Accentibus. Giess. 1665. 1668. De vltimo scripto nonnulla afferam in *Oratione de Meritis Clarorum Lubecensium in Linguam Ebraeam*, ante annum habita, quae, multum postea aucta, poterit commoda occasione data in lucem produci.

Rudis Latii. Giess. 1668. 4.

Dissertatio de Absurdo Dubitationis. ib. 1668. 4. Reperitur illa quoque T. IX Disputatt. Giess. p. 1174 sqq.

Ianus Iuris. 1669. 4.

Diss. IV de Cura Domestica Roman. 1669. 4. Has Dissertationes *Bartoldo Botsacco*, Hanneke-

nii

nii discipulo & Respondenti, tribuit Cl. Raupachius l. c. p. 45.

Hierophanta, cuius prima pars est Solitudo sacra, & pars secunda Congregatio sacra. Giess. 1671. 8.

Bonus hominis Christiani animus, seu Commentar. de Puritate Conscientiae. Giess. 1672. 4.

Theologiae Polemicae tentati Recessus, secundum seriem locorum Christianae doctrinae. Giess. 1675. 4.

Discussio repetita iudicii famosi, quo sanctum Concordiae librum infamare olim conabatur Cardin. Bellarminus. ib. 1675. 4.

Hodegeticus Marestianus. ib. 1676. 4.

De Consensu fundamentali Lutheranorum & Pontificiorum, contra auctorem Aurorae Pacis Religiosae. ib. 1678. 4.

Hebdomas Dispp. de Necessitate Doctrinae Christianae. ib. 1678. 4.

Placida consideratio fundamentorum sapientiae Christianae, quam tribus officiis distinxit, totidemque libris tradidit Lucas Opalenus. ib. 1679. 4.

Exercit. Acad. de Vita beata militantium sub regno gratiae Christianorum. ib. 1680. 4.

Paralysis fidei Papaeae iuxta Analysin fid. Cathol. Greg. de Valentia. ibid. 1683. 4. Vid. Act. Er. Lips. 1683. p. 321 sq. Conf. Goetzii Biblioth. Anti-Pontif. Claror. Lubecenss. p. 7.

Catena Doctrinae Christianae. 4.

Diss. de Prouidentia. Giess. 1684. 4.

De Potestate Magistratus Politici circa Sacra. ib. 1688. 4.

Ectypa diuinae voluntatis circa salutem humanam, ex clarissimo & infallibili verbo Dei in compendio transscripta. Giess. 1686. 4. 1688. 8. Hic libellus exhi-

 bet

bet egregium Theologiae compendium, quod pie, ſolide & docte eſt conſcriptum. Quam praeclare etiam in ſcriptis Patrum verſatus fuerit Hannekenius, vel hoc opuſculum oſtendit, cuius fructus multo maior eſt, cum nanciſcitur lectorem intelligentem ac ſagacem, quam cum a ſtupido atque rudi legitur.

De Veritate Iuſtitiae noſtrae imputatiuae. Gieſſ. 1687. 4.

De Turbelis Phantaſiae. ib. 1689. 8.

Obſeruationes fideles in Syſtema Mareſii. ib. 1691. 4.

Commentatio de Myſteriis Kalendarum Ianuarii Chriſtianorum. ibid. 1691. 4.

Contemplatio reſurgentium ex morte hominum, capto proſpectu per meritum Chriſti. Gieſſ. 1692. 4. Wittenb. 1702. 4.

De Quaeſitis nonnullis circa Lapſum Angelorum. Wittenb. 1693.

Spes optimorum temporum ſ. de Vita aeterna. ib. 1693.

Meditatio inauguralis de Repraeſentatione Dei cum adoratur, ex primitiuae Eccleſiae methodo. ib. 1694.

De Baptiſmo primarum Chiliadum ad Chriſtum conuerſarum. ib. 1695.

De Contemplatione ruinarum Babylonis, iuxta anachoriſin Apocalypticam Iohannis. ib. 1695.

De Amore Dei ſalutari in Iudam proditorem. ib. 1695.

Logi euagantes, quibus diſtinctionem poenitentiae Legalis & Euangelicae defendere conatus D. Spenerus. ib. 1696.

De praeſtantia hominis ſecundum geminum regenerationis ſtatum ex 1. Io. III. 1. 2. ib. 1696.

De Gradibus Sanctitatis Viatoris Chriſtiani. ib. 1696.

De

De vero verae pietatis exercitio. ib. 1696.
De vera Aug. Conf. aestimatione. ib. 1697.
Disp. Inaug. de Sublimitate variae unionis in Mysterio SS. Coenae. ib. 1699.
Addictio Foederalis ex Gen. XVII. 7. ib. 1699.
De Beatitudine paradoxa fidelium Christianorum, quod attinet paupertatem Spiritus. ib. 1699.
Disp. Theol. de Poenitentia seria nunquam sera. ib. 1700.
De Absolutione priuata formula categorica exercenda. ib. 1700.
De Consummatione morientis in cruce Seruatoris. ib. 1700.
Meditatio Carolina ad cauendum errorem de Termino Gratiae peremtorio in Regno Gratiae; adiecta est Diss. de Ductibus Veritatis. ib. 1700.
De Iure Gratiae Principis Christiani in reos noxae capitalis. ib. 1701. Ob hanc Dissertationem aduersarium nactus est D. *Adam. Rechenbergium*, Theologum Lipsiensem. Scripta vtriusque prodierunt hac inscriptione: *Phil. Lud. Hannekenii & Ad. Rechenbergii de Iure aggratiandi circa homicidium Ventilationes publicae.* Lips. 1712. 4. Conf. Relatt. Innox. 1712 p. 1108.
Mysterium Anti-Christi tribus dogmatis de Adoratione SS., de Purgatorio, de Mutilatione S. Coenae ostensum. 1701.
De Moribus Regni Christi, illisque opposito Pietismo & Chiliasmo. Witt. 1701.
De Sanguinae Christianorum Escario, contra Th. Bartholinum. Giess. 1673. Witteb. 1702
Specimen examinandi Theologiam Remonstrantium contra Limborchium. Witt. 1702.

Diss. Inaug. Sylloge Theol. controuersiis maxime nouis referta ex Loco de Theologia, eiusque Principio. ib. 1703.

Dispp. III de Deo Trinuno. ib. 1704.

Diss. Theol. de Creatione & Angelis. ib. 1705.

Catechesis de Morali Sabbatico Christianorum. Coburg. 1705.

De Declaratione Aug. Conf. Dispp. II. Witteb. 1704.

De vere religiosi adoratoris spiritu & veritate ad Io. IV. 24. ib. 1705.

De Regno Dei in nobis ex Luc. XVII. 29. ib. 1705.

De Misericordia Dei fortuita. ib. 1705.

Diss. Theol. de Trinitate.

Hassia Exsultans. 4.

Send-Schreiben von denen so genannten Collegiis Pietatis. 4.

Ziemende Antwort auf das seltsahme Anschreyen gegen sein schlechtes und rechtes Send-Schreiben von denen illegalen Collegiis Biblicis. Giess. 1690. 4.

Diss. de Tranquillitate Animi.

Scripta nondum edita sunt *Catechesis priuata, s. Quaestiones selectae Theologicae ad examinandos auditores Systematis Scherzeriani: Introductio in Theologiam Moralem per Aphorismos conscripta: Collegium Theticum in Casus Conscientiae: Colleg. in Exegesin Scripturarum: Memorabilia Aug. Conf. praelect. publ. Giess. 1682: Theologia Thetica Koenigii explanata: Confutatio Catechesis Racouianae: Vindicatio Dictorum Scripturae S. Canonicae, quibus abutuntur Reform. Ecclesiae Doctores secundum ordinem System: Vindiciae Dictorum Script. S. ad asserendam Thesin Orthod. contra Iesuitas & Reformatos Lectionibus publ.* pro-

propositae: Quaestiones Isagogicae in LL. Gerhardi: Medulla Chemnitiana & Exam. Concil. Trid: Repetitio LL. Chemnit: Collegium Anti-Caluinianum: Anti-Papisticum contra Becanum: in librum Concordiae: Enchiridion Controuerss. Papistic. per Thesin vna cum declaratione & confirmatione, addita obseruatione Anti-Syncretistica contra Iesuitarum & aliorum fraudulentam, quam offerunt, Concordiam: Praelect. publ. in Controuersias Theol., quae Eccles. Latinis intercedunt cum Graecis: Collegium in Historiam Ecclesiasticam: Introductio in Historiam restauratae per Lutherum Ecclesiae Christi: Introductio in Politicam Ecclesiasticam: Colleg. in Caranzae Summam Conciliorum: Annotationes MSS. ad N. T. Bezae Hannekeniorum, Patris & Filii: (q) *Colleg. in Institutiones Dieterici Catecheticas: in Epistolam Pauli ad Galatae obseruationes cum paraphrasi Latina & sedibus doctrinarum: Theologiae Polemicae Memoriale controuersiis maxime nouis secundum Locc. seriem instructum.* His addantur *Obseruationes Adamo Burghabero opponendae*, de quibus leg. Praef. Discusſioni Repetitae Iudicii famosi praefixa; & in primis *Notae in Augustinum de Ciuitate Dei* (quem librum in deliciis habuit), quas plane esse absolutas, ex laudato M. Hannekenio cognoui.

(q) Annotationes has ad prelum paratas, quas seruat Vir doctissimus *Alb. Meno Verpoorten*, Antistes Neostadiensis in Coburgensi Ducatu, esse solius *Menonis Hannekenii*, ipsius nepos, vir admodum reu. & praeclariss. M. Balth. Gerh. Hannekenius, Archi-Diaconus Cathedralis, mihi significauit.

BALTHASAR GERHARDVS HANNEKENIVS.

Philippi Ludouici frater, qui an. 1641 Marpurgi in lucem est productus. *Parentum prouida cura*, scribunt Auctores Novor. Literar. Mar. Balth. 1706. p. 287, *commissus primum institutioni Gymnasii Lubecensis & , qui huic isto tempore praeerant, Praeceptorum Lippii, Meieri, Bangerti, Kockerti, prouectioribus inde studiis an.* 1659 *Academias ingressus est Giessensem, Lipsiensem, Rostochiensem, in quibus & scientiarum fundamenta hausit, & industriae quoque specimina varia edidit.* Perlustratis deinceps prudenter Germaniae ac Belgii potioribus vrbibus, rediit, artium liberalium Magister creatus, Lubecam, quae ciuitas, eum ab an. 1667 Symmystam Marianam, & ab an. 1701 vsque ad 1706 Pastorem Marianum laeta conspexit merita paterna strenue propagantem. Iure igitur laudatur a B. Suantenio in eius Memoria, quam Goetzius. Elogg. Germanor. Theologor. p. 706-713 inseruit. Honorifica quoque eius mentio fit a B. Nottelmanno in elegantissima Orat. de Menone Hannekenio p. E 3. Scripsit *de Ministerio Spiritus* ad Io. XXIV. 26., Lubec. 1702. 4 occasione summe reu. Praesulis nostri *G. H. Goetzii* ab ipso inaugurati. Vid. cit. Nou. Lit. 1702. p. 300. Effigies Theologi fidelissimi ornat templum Marianum, atque hanc inscriptionem habet:

M. BALTHASAR GERHARDVS HANNEKENIVS, Pastor dieser Gemeine, ist

im

im Jahr 1641. d. 2 Aug. zu Marpurg in Hessen gebohren, allhie aber 1667 d. 25 Iul. zum Prediger an hiesiger Kirchen, und 1701. d. 14 Apr. zum Pastoren ordentlich beruffen. Nachdem er nun seinem GOtt darinnen in die 39 Iahr treulichst gedienet, ist er 1706 d. 24 April. Abends gegen 6 Uhr in seinem Erlöser seelig entschlaffen. Seines Alters 64 Jahr, 8 Monat und 22 Tage.

BALTHASAR GERHARDVS HANNEKENIVS.

Filius *Balthasaris Gerhardi*, modo laudati, anno 1697. in Gymnasio nostro Oratione publica exposuit effatum CONRADI II. Imperatoris Romani: *Omnium mores, tuos in primis obseruato*, cuius scholastici speciminis causa a B. Suantenio in praemisso Programmate commendatur. Laborum Academicorum, praeter alia, retulit summorum in Philosophia honorum praemium. Duplex autem Kilonii edidit specimen: primum an. 1701 defendendo sub *Christophori Franckii* praesidio *Disputationem Theologicam de Numero Sacramentorum N. T. & de Natura Sacramenti*, ob quam eum quoque commemorat Goetzius in Biblioth. Anti-Pont. Presb. Lubec. p. 8: alterum an. 1702 elaborando & *Henr. Opitio* praeside publico examini submittendo *Dissertationem Theologicam de Oraculo Iohannaeo ex 1. Epist. II, 1. 2.* Vid. Nou. Lit. Mar. Balth. 1702 p. 176, vbi Dissertatio haec recensetur. An.

1705 m. Ian. Symmysta, & m. Nouembr. Archi-Diaconus Cathedralis fuit electus.

EMANVEL SEBASTIANVS HARDER.

Natus est an. 1662 Grömsiae in Holsatia patre *Ioanne Hardero*, Pastore. *Adultior paulo*, teste B. Suantenio in eius Memoria, *consortioni Lubecensis Gymnasii traditus, praeclaro ductu atque fideli auspicio virorum tunc assiduam iuuentuti erudiendae operam impendentium Hinckelmanni, Lipenii & Brüggii, politioris ac solidioris litteraturae compos euasit. Octodecim natus annos Kilonium perrexit.* Lubecensi denuo ciuitate receptus an. 1698 m. Mai. Symmysta Templi Arcis & S. Spiritus designatus est, quod munus an. 1714 cum ipsa vita reliquit. Laudes eius reperiuntur in Celeberr. Goetzii nostri Orat. an 1715 d. 19 April. in Athenaeo nostro habita ac deinceps edita, qua ipsius Symbolum: ERIGIT SERVATOR HVMILES, exposuit, & in citato Progr. Suanteniano.

ADAMVS HELMSIVS.

Lubecae an. 1579. 18 Iul. lucis vsura coepit frui. *Anno* 1586, vtor verbis B. Seb. Meieri in Progr. Funebr. ap. Goetz. in Elogg. Germ. Theol. p. 225. sq, *cum felicissime, vt ingenio erat minime hebete & obtuso, omnia arripuisset, Praeceptorum, qui id temporis publice docebant, fidei commissus & in Societatem eorum, qui in quinta classe a*

M. Nico-

M. Nicolao Iungio (cuius fidem, industriam inque docendo dexteritatem adhuc omnes loquuntur, quotquot eo praeceptore vsi sunt) informabantur, adscriptus est. Et cum singularem Praeceptoribus probaret industriam, in litteris domi gnauiter elaboraret, & quae a Praeceptoribus proposita erant, sedulo ruminaret, memoriae infigeret & in succum & sanguinem quasi conuerteret, iugi & assiduo labore, vt singulis sesquiannis de classe in classem superiorem transferretur, obtinuit. Qua ratione deinceps inuita Minerua mercaturae sit consecratus, & tandem, victrice eadem, litterarum studia continuandi occasionem nactus sit, non sine iucunditate l. c. p. 226 sq legitur relatum. Academica studia Wittenbergae & Rostochii (vbi Magister Philosophiae renunciatus est) pertractauit. In patria an. 1610 Symmysta Iacobaeus & an. 1613 Pastor Petrinus fuit constitutus. Tandem Reu. Minist. Lubec. Senioris dignitas, qua per annos haud paucos fuit conspicuus, accessit. Mortuus est an. 1653. Plura vid. l. c. vbi ob multas virtutes, sacri ordinis viro dignas, laudatur. Epitaphium eius in Petrino Templo hanc habet inscriptionem:

יהוה

Qua facie cernis spirauerit Helmsius olim;
Dextra Viri ingenium pingere nulla potest.
E cathedra docuit bene quadraginta per annos
Ore loquens sacro mella rosasque gregi.
Dum senio & multa confectus mole laborum
Hic posuit tenuis corporis exuuias.

Huius

Huius tu poscas, vt molliter ossa quiescant
Haec qui forte legis. Caetera morte carent.

M. Adamus Helms., Pastor und Senior, gebohren 1579. ward Prediger 1610. ist sel. gestorben 1653. Alters 74.

Conscripsit
Dissertationem de Conciliis. Vid. Wittenii Diar. Biogr. ad an. 1653.
Concionem Funebrem ex Ps. LXXIII. 25. 26. Lubec. 1639. 4.
Unterricht und Trost für Schwangere und Gebärende Frauen. Lubec. 1645. 8.

MICHAEL HENRICI.

Othoniensis, didicit in Scholis Vratislauiensi, Hamburgensi ac Lubecensi, & in Academia Hafniensi, in qua ob eruditionem ac facundiam adeo inclaruit, vt Serenissimus Rex eum 1652 Concionatorem Aulicum clementissime vocarit: quam splendidam spartam an. 1660 munus Pastoris Nicolaitani excepit. Obiit an. 1701 quadragesimo nono officii anno, aetatis autem tertio & septuagesimo, Danorum, a quibus praecipuis sacris oratoribus accensitus, Chrysostomus. Probant hoc ipsius *Conciones* magno numero Danica lingua elaboratae, quae partim editae sunt, partim prelum exspectant. Vid. omnino Nou. Lit. Mar. Balth. 1706. p. 313 sqq. Conf. de Vita Henrici l. c. 1701. p. 116 sq.

MICHAEL HENTSCHEL.

Lucis vſuram an. 1660 Lubecae accepit, vbi exegit etiam ſcholaſticum curriculum, quod his verbis deſcripſit Suantenius in eius Memoria: *Vt a teneris ſenſim annis proficeret in pietatis, doctrinae ac morum ſtudio, tradebatur conſortioni Lubecenſis ludi litterarii, & aſſiduo praeclaroque ductu magiſtrorum ac moderatorum tunc meritiſſimorum Nottelmanni, Hinckelmanni, Lipenii, Polzii, Brüggii alleuabatur atque promouebatur, poſtquam prima ſtudii literati fundamenta probe iecerat fideliſſimis auſpiciis virorum in docenda tunc temporis pueritia egregie verſatorum Franckii & Lippii.* Perrexit in litterarum ſtudio Wittebergae ac Roſtochii, vbi praeſide Habichhorſtio *de Melchiſedeco* & auſpiciis *Varenii* an. 1682 *de Presbyterorum Clericorum Dignitate poteſtate & ordine e iure diuino & antiquo Eccleſiaſtico*, nec non *de Epiſcopis, Presbyteris & Chorepiſcopis* diſputauit. Reliqua docebit inſcriptio Epitaphii, quod eſt in templo Iacobaeo:

> *MICHAEL HENTSCHEL, Paſtor dieſer Gemeine, iſt allhie gebohren An.* 1660. *den* 21 *Iun. Er ward zum Prediger erwehlet An.* 1690. *am* 24 *Iul. Hierauf erlangte er An.* 1706 *am* 30. *Sept. die Paſtorat-Stelle. Weil er nun jederzeit ſein Ampt mit aller Treue zu verwalten bemühet war, hat er andern auf den Weg zum Himmel vorleuchtend, ſich endlich ſelbſt darüber verzehret. Dahero er ſchon An.* 1711. *am* 25. *Ian. zum groſſen Leidweſen, nicht nur der lieben Seinigen,*

ſondern

ſondern auch ſeiner werthen Gemeine ſelig im Herrn iſt entſchlaffen, da er ſein mühſahmes Leben nur gebracht auf 50 Jahr, 7 Monat, 4 Tage.

Hie ſteht Nathanael, Apollo nach den Gaben,
Der mit dem ſanfften Stab konnt müde Seelen laben.
Sein Wehſtab ſchlug und macht die harten Felſen weich:
Er war ein brennend Licht, dort gläntzt er Sternen gleich.

ADAMVS HEROLDVS.

Patria Dresdenſis an. 1659 natus, auſpiciis *Abrahami Hinckelmanni*, cognati ſui, primum in ſchola Gardelegienſi, deinceps Lubecenſi humaniores elegantioresque litteras egregie percepit, duplici ſpecimine oratorio Gymnaſtico Lubecae edito celebris, ſiquidem an. 1675. d. 18 Maii *de Neceſſitate multarum Legum in Republica* & an. 1676. d 6 Iun. *de Eloquentia Veterum & eius Dignitate* publice pro concione dixit. Lubeca hunc a parentibus iam ante natiuitatem ſanctioribus litteris conſecratum illuſtri Schabbeliano ſtipendio ſubleuauit, quo in Academiis Wittenbergenſi (vbi moderante Io. Deutſchmanno *de ſanctiſſimo SS. Trinitatis Myſterio ex articulo Creationis oſtenſo* diſputauit), Kilonienſi (vbi habita ſub Henr. Opitii praeſidio Diſſertatione *de Iudaeorum Excommunicatione*, Magiſtri titulum adeptus eſt), Lugdunenſi item in Batauis & Oxonienſi religioſe vſus eſt. An. 1683 Gymnaſii Reualienſis Rector

Rector & Inspector vocatus est; post triennium Antistes siue Superintendens Hertzbergensis & 1692 Ileburgensis. Vltimum munus aggressurus Wittenbergae summis in Theologia honoribus auctus est, cum *Casp. Loeschero* praeside *Inauguralem Dissertationem de Fidei Vita & Morte* contra dissentientes vindicasset. Vitam cum morte an. 1711 d. 2 Mart. permutauit. Plura dabunt excellentiss. noster Goetzius in erudita Epistola ad Antistitem Pirnensem D. Io. Gottl. Lucium de nonnullis Dresdensibus extra Dresdam Francof. & Lips. 1712. 8. p. 77 sqq. Ierem. Simon in Chron. Ileburg. p. 403. 407. 817. Auctores Lexic. Erud. German. p. 971. Scripsit

Diss. de Tempore Paschatis vltimi Christi. Witteb. 4.

Diss. de Necessitate Hypothetica. ibid. 4.

Palladium Reformatorum a sede sua destructum, i. e. Doctrinam de absoluta Dei gratia vel Decreto ex Cap. IX Epist. ad Rom. per Analysin, Exegesin, LL. CC. & Paraphrasin explicato, Apodixi Logico-Theologica, habita ratione veri scopi Apostolici in hoc capite & tota Epistola euicti, subrutam & euersam, vbi simul variae arduae doctrinae enodantur, & non pauca difficiliora SS. loca explicantur. Lips. 1706. 4. Vid. de hoc libro Relatt. Innox. 1706. p. 727, sq. Act. Erud. Lips. 1707. p. 74 sqq.

Meditationes Exegetico-Practicas in octo praecedentia eiusdem Epistolae capita, quas molitus est, morte impeditus non absoluit.

IOANNES HESSE.

Vitam suam ipse descripsit, in qua *Studia*, ait,

tri-

triuialia absolui in patrio Lyceo, vbi diligentiam & dexteritatem in erudiendo praeceptorum Nottelmanni, Hinckelmanni, Polzii, Brüggii, Franckii, Tribbechouii & Scheuii praedico. Dixit Gymnasio nostro vale habita an. 1676 d. 23 Iun. *de Eloquentia Theologi* solemni Oratione. Specimini scholastico addidit Academicum, conscripta Wittenbergae & sub *Abr. Catouii* praesidio defensa *de Fluxu Sanguinis & Aquae Christi laterali* ad Io. XIX Disputatione. In patria an. 1692 Symmysta Laurentianus, an. 1693 Symmysta Petrinus & an. 1713 Pastor fuit electus.

RVDOLPHVS HILDEBRANDVS.

Rector quondam Osnabrugensis, Herfordiensis & Brunsuicensis, tandem Pastor Catharinianus Brunsuicensis, vir multorum meritorum & magni sua aetate nominis, de quo legendus omnino Cl. Rehtmeyerus P III. Hist. Eccles. p. 508 sqq. Didicisse eum circa an. 1562 Lubecae, p. 509 annotatur. Morbo lethali in ipso sacro suggesto fuit correptus an. 1608 d. 30 Octobr., cuius diei tristis mihi est memoria, quoniam an. 1698 eodem die similia fata beatus parens meus habuit.

IOANNES STEPHANVS HILDERMANN.

Pastor Palaeo Crempensis, in Vita Io. Langemakii, postea adducendi, Scholam Lubecensem

ſem matrem ſuorum ſtudiorum appellat. Viri eruditionem non ſpernendam declarant Sermones Germanici, quorum inſcriptiones ſunt:

Die Pflicht derer Zuhörer gegen ihre verſtorbene Lehrer. Lub. 1706. 4.

Pauli Gewißheit von ſeinem Glauben und ſeiner Seeligkeit. ib. 1713. 4.

IOANNES HILMERS.

In Athenaeo patrio Lubecenſi eum fuiſſe humanitatis ſtudiis imbutum, Album noſtrum me docuit, ſicut ex Nov. Lit. Mar. Balth. 1704. p. 158 cognoui, eum an. 1702 ad munus ſacrum apud Burgenſes in Inſula Femaria adminiſtrandum eſſe vocatum. Edidit, gratum animum patriae teſtificaturus,

Die von GOtt gewürdigte LOB-ECK; als die heilſame Reformation Lutheri in der Kayſerlichen Freyen, und des H. Römiſ. Reichs-Spadt LVBECK im Jahr Chriſti 1529 einen wunderbaren Anfang genommen, jedoch im folgenden Jahr herrlich hinausgeführet; Nebſt Benennung derer Lutheriſchen Prediger von der Zeit an, bis auf den heutigen Tag. Lub. 1716. 8.

Communicabit aliquando cum erudito orbe librum hiſtoricum multa notatu digna complexurum, nimirum

Femariam Hiſtoricam, oder Hiſtoriſches Andencken der Inſul Femern. Aget cap. I. *von dem Nahmen Femern.* II. *von der Benennung Cimbria und Cimbern.* III. *von denen Heidniſchen Einwohnern in Femern.* IV. *von denen Heidniſchen Regenten über*

ber Femern. V. *von denen Christlichen Regenten über die Heyden in Femern.* VI. *von der Eroberung Femern und Austreibung der Heyden durch den Dänischen König Woldemar II.* VII. *von der Besetzung der Insul Femern mit Christen.* VIII. *von denen Päbstischen Regenten biß an die Verstörung Femern.* IX. *von denen alten Priuilegiis.* X. *von der Verstöhrung Femern durch König Ericum XI.* XI. *von denen neu-besetzten Einwohnern der Insul Femern.* XII. *von ihren Vetterschafften und Gilden.* XIII. *von denen wieder erbauten Kirchen, geschenckten Indulgentien, Walfahrten &c.* XIV. *von dem Femerischen Land-Recht und was dem anhängig ist.* XV. *von dem der Stadt Burg mitgetheilten Lübeckischen Recht, Hochfürstl. Constitutionibus und verordnetem Stadt-Voigt.* XVI. *von der Reformation Lutheri.* XVII. *von den Lutherischen Regenten.* XVIII *von denen Ampt-Männern und Befehlhabern, item Land-Voigten und Land-Schreibern; so auch von etlichen Bürgermeistern.* XIX. *von denen Pröbsten, oder Inspectoribus, Predigern und Cantoribus.* XX. *von den Kirchen-Ceremonien und GOttes-Dienst, item, was in denen Kirchen und an denen Glocken zu mercken ist.* XXI. *von etlichen auswertig gelehrten Landes-Kindern, dazu gehören der gewesene Hr. Bürgerm. zu Lübeck D. Gloxin, item D. Kortholt zum Kiel.* XXII. *von allerhand Landes-Plagen, als Pest, Krieges-Beschwerden, Mißwachs, Feuers-Brunst und Wasserfluth.* XXIII. *von unterschiedenen Merckwürdigkeiten.* XXIV. *von dem jetzt lebenden Femern.*

mern. Appendix: von dem alten Femerischen Liede.

THOMAS HONSTEDT.

Memoriam Theologi Lubecensis clarissimi ab Enoch. Suantenio scriptam summe Ven. Pippingius Triad. Decad. p. 1519 sqq inseruit. Ex ea obseruamus, quod Lubecae an. 1642 in lucem sit productus atque in Athenaeo patrio educatus. Docet hoc Suantenius p. 1521 his verbis: *A prima statim pueritia coepit imbui salutaribus studiorum, sapientiae & morum praeceptis, commissus solertissimae tunc curae virorum in ludo literario Lubecensi probatissimam ac praeclarissimam iuuentuti perpoliendae operam destinantium Iusti Iribbechouii, Mart. Linckii, Polzii, Bangerti & Meieri.* Bangerto in primis permulta se debere, fassus est in eleganti Carmine heroico Lub. 1665. 4, in cuius titulo eum vocat *Praeceptorem olim suum optimum.* Prosecutus est egregie coepta litterarum studia Wittebergae ac Giessae, rebus in vtraque Academia laudatissime gestis, adeo vt Giessenses pereximio eum ornarint testimonio, in quo praeter summos Philosophicos, quos habuit, honores, summis etiam honoribus Theologicis dignus iudicatur. Vid. honorifica verba, quae ex hoc testimonio adduxit Pippingius l. c. p. 1522 sq. Sponte currenti calcar addidit beneficium Schabbeliani Stipendii, quod vtilissimo consilio ei fuit suppeditatum. Ex Altdorfina Academia an. 1670 vocabatur in patriam, vt Templo Arcis & S. Spiritus sacer mi-

 nister

nister praeesset. Hoc munere cum ad annum 1684 summa cum laude esset functus, Templi Cathedralis Pastor, & an. 1700 Reu. Ministerii Senior declarabatur. Obiit an. 1704, *postquam*, testibus Celeberr. Auctorib. Nouor. Lit. Mar. Balth. 1704. p. 95, vbi Vita Honstedtiana etiam in compendio legi potest, *annos* 61 *&* 8 *ferme menses innocenter & pie vixisset.* Iidem p. sq. celebrant merita Honstedtii & simul scriptum Goetzii, occasione mortis Honstedtianae editum, quod *Bibliothecam Mortuorum* inscripsit, inque eo egit de libris illis, quos demortui quidam in vita sic dilexerunt, vt post fata loculis suis includi iusserint. Merebatur hunc honorem vir optimus, cuius effigiem ostendit templum Cathedrale cum hac inscriptione:

M. THOMAS HONSTEDT Reuer. Minist. Senior & Pastor, ist allhier zu Lübeck Anno 1642. den 11 Iun. gebohren, an. 1670 aber zum Predig-Ampt an der Burg, zum H. Geist und am Pockenhause erwehlet, nachdem er nun daselbst in die 15 Jahr dem Willen GOttes nach allen Vermögen gedienet, ist Er An. 1684 durch einhellige Wahl zum Pastorat am Dom beruffen worden: woselbst Er in die 20 Jahr sein Ampt redlich ausgerichtet, biß er zu grossem Leidwesen seiner lieben Gemeine An. 1704

den 5 Febr. in seinem Erlöser selig entschlaffen, als er gelebet ins 62 Jahr.

Scripta eius, quae in cit. Nou. Lit. 1704. p. 95 *nitidissima* vocantur, sunt

Disputatio Physica de Causis Corporis Naturalis in genere. Wittenb. 1664. 4. Praes. *Constantin. Ziegra.*

Disputatio Theologica de Christo Archiatro Spirituali ex Es. LIII. 4. Giess. 1669. 4. Praes. *Petr. Haberkornio.*

Sylloge Positionum Philosophico-Philologicarum. Resp. *Io. Dan. Arculario*, postea Theol. D. & Reu. Minist. Francof. Seniore: ibid. 1669. 4.

Palaestra vere Christiana. Lubec. 1675. 8. Quae fata habuerit hic liber egregius, dicta Biblica de Spiritualibus militibus, certamine, hostibus, victoria ac brabeis solide explicata complectens, & quomodo tres diuersos titulos an. 1675. 1680 & 1686 acceperit, exponit Pippingius l. c. p. 1527 sq.

Dissertatio de Vita Fidei. Lubec. 1685. 4. pl. XI.

Treuhertzige Warnung an die Christlichen Gemeinen in Lübeck, sich für der Reformirten Predigten wol zu hüten, aus Veranlassung einer von Johann Melchior Fuesslin gehaltenen und darauff zum Druck beforderten Predigt, genannt: Pauli hertzlicher Wunsch für seine geliebte Epheser. Lubec. 1701. 8.

Schrifftmässige Rettung des Lübeckischen Responsi, in der

der entstandenen Streitigkeit des von GOtt gesetzten Gnaden-Termins, von desselbigen so genannten Schrifftmässigen Prüfung (Tit) Herrn Adam Rechenbergs, SS. Theol. D. & Prof. Primar. in Leipzig. Lub. 1702. 4.

Einfältige, doch gründliche Catechismus-Erklärung, insonderheit nach den Worten des Catechismi aus heiliger Göttlicher Schrifft fürgestellet, und auf Obrigkeitliche Verordnung zum Druck befodert. Lub. 1703. 12. Haec explicatio Catechismi Lutheri in Scholas pariter atque Ecclesias Lubecenses, publica Magistratus auctoritate, fuit introducta.

Gründlicher und deutlicher Beweiß, daß in der Schrifftmäßigen Rettung des Lübeckischen Responsi über der entstandenen Streitigkeit des von GOtt gesetzten Gnaden-Termins, die Warheit und Unschuld nicht sey beleidiget worden, wider (Tit.) Hn. Ad. Rechenbergs, Th D. & Pr. Prim. in Leipzig, der Zeitzischen Schrifft beygefügte Vorrede, samt der verlangten Vorstellung aller in diesem Streit zusammen gehöriger und an einander hängenden Warheiten, zu diensamer Nachricht von denen in derselbigen gezeigten Friedens-Mitteln, auf Gutbefinden E. E. Ministerii, und mit desselbigen einhelliger Ubereinstimmung verfasset. Lub. 1703. 4. Argumentum huius scripti paucis indicatur in N. L. Mar. Balth. 1703. p. 95, vbi hoc de eo iudicium fertur: Scriptum hoc nec scommata spirat, nec aculeata continet verba, sed rotunde omnia ac placide, ceu pium addecet Theologum, proponit, vt quilibet, a praeconceptis opinionibus liber, haud diffi-

difficulter animaduertere queat, illud veritatis coelestis defendendae causa fuisse euulgatum.

ANDREAS zur HORST.

Ecclesiastes Marienbergensis, vir, licet scriptis non inclaruerit, ob pietatem tamen, fidem, diligentiam, liberalitatem, humanitatem, & alias virtutes, ob quas in vitae curriculo, annexo *Andr. Kuhnen*, D. & Superint. Annaeb., *Obelisco Pastorali*, mirum in modum laudatur, sempiterna memoria dignus. Hic quoque locum meretur, quoniam praeclarus olim in Gymnasio nostro fuit discipulus. Patet hoc ex eius Vita, in qua p. E 4 isthaec narrantur : *Sein lieber Vater hat ihn A. 1642 im 19 Jahr seines Alters selbst nach Hamburg, von dar nach Lüneburg, von dannen nach Lübeck gebracht, allwo er ein hospitium und Hn. Joh. Conradi, des Stadt-Secretarii Sohn, zum Discipul bekommen, und darauf den 6 Julii von dem berühmten Schul-Rectore Herrn Epicharmo* (Gualtperium intelligit) *und dessen Adiuncto, M. Iohann Kirchmanno, welcher vor ein Lumen scholarum gehalten ward, und stattliche Leute erzogen, in das Gymnasium und deßelben primam classem introduciret worden. Nachdem der seel. Hr. Pfarr in diesem Gymnasio sich wol verhalten, hat er auf Einrathen Hr. M. Kirchmanni und Meieri valediciret.* Ex multis memorabilibus ipsius Vitae pauca seligam. Notatu digna est religiosa diuini nominis veneratio, de qua auctor Curric. Vit. p. F 3 *den Nahmen GOttes*, inquit, *hat er so hoch gehalten, daß er nicht das geringste Zettelgen, darauf der Nahme GOttes teu[illegible]*

oder Lateinisch gestanden, beyseit geworffen, davon er nicht zuvor den Nahmen GOttes ausgeschnitten, und auf sein Studir-Tischgen gelegt hätte. Dahero solcher Zettelchen nach seinem Tode eine grosse Schachtel voll gesamlet worden. Meretur annotari, quod sibi & collegae suo mortem non vane praedixerit. Quod eodem die 16 Sept. quo ante 31 annos nuptias celebrauerat, obierit, ac alia, taceo,& addo tantum, quod vitam auspicatus sit Brunsvici 1623, finiuerit Marienbergae an. 1681.

BERNHARDVS HENRICVS VON DER HVDE.

Lubecensis, didicit olim auspiciis *Suantenii* & Collegarum in Athenaeo nostro, in quo an. 1701 d. 15 Mart. laudabili more pro spectatissimorum virorum concione splendidissima dixit *de Imperatoris LEOPOLDI Symbolo: Consilio & Industria.* Ipse industriam, quam publice commendauit & in Schola quoque exercuit, deinde, Academicis ciuibus adscriptus, minime passus est languere. Nouum eius in patria, post finita studia Academica, dedit specimen, in venerando virorum sacri ordinis Lubecensis consessu summe reu. *Goetzii*, Praesulis nostri saepius laudati, *Exercitationem Theologicam de Baptismo in Domo Cornelii peracto ex Act. X.* 47. 48 an. 1713 propugnando. Eodem anno m. Iun. Symmysta templi Mariani est vocatus.

BARTOLDVS KEMPE.

Lubeca ei dedit an. 1655 d. 31 Mart. lucis vsuram

ram, & postea, labore ac diligentia Abrah. Hinckelmanni Collegarumque eius, in publico Musarum domicilio solidae eruditionis fundamenta. Giessa ac Wittenberga litterarum maiora incrementa sunt largitae. Idem Belgium, quod deinceps adiit, fecisse dicendum est. Munus honorificum tradere volebat Hafnia, nisi mater filium domum reuocasset. Etenim in *praesentia*, inquit Mantzelius loc. mox citand. p. 114, *Regis Daniae CHRISTIANI V e suggestu verba fecit tanto cum applausu, vt Rex dimittere eum noluerit, sed Concionatoris Aulici spartam ipsi obtulerit.* Accepit autem munia Antistitis Parchimensis an. 1685, Doctoris Theologi honoribus eodem anno Kilonii condecoratus. Obiit coelebs an. 1691, cum, aetatis annum trigesimum & septimum modo agens, bene mereri primum inciperet. Extat, praeter *Concionem Funebrem ad* 1. *Io. I, 7*, ipsius elegans *Dissertatio Inauguralis opposita Andreae Wissowatii Tractatui de Religione Naturali, seu rationis vsu in controuersiis etiam Theologicis ac religiosis adhibendo.* Kilon. 1685 4. Praesidem habuit Christianum Kortholtum. Reliqua vid. in B. Ioach. Mantzelii Schediasm. Historico-Liter. de Superintendentib. Parchimenss. p. 111 sqq.

HVBERTVS KOEN.

Huius Theologi & Archi-Diaconi Mariani Lubecensis, nati Lubecae an. 1607. d. 26 Febr., electi Symmystae an. 1639, mortui 1668, memoriam hic conseruare iubeor ab Henr. Lubberto, qui breui vitae Koenianae descriptioni, carmini

funebri praemissae, haec verba inseruit: *Durch sonderliche Schickung GOttes ist er, weil ein sonderlich Ingenium in ihm verspüret, zum studiren angeführet, da er denn hie in der Lateinischen Schul solche fundamenta in der Lateinischen, Griechischen und Hebräischen Sprache geleget, daß er mit Ruhm An.* 1627 *den* 2 *Mart. auf die Universität Rostock gereiset, seine Studia Philosophica und Theologica fortzusetzen, nachgehends A.* 1630 *den Tag vor Weynachten auf Wittenberg, da er auch An.* 1631 *ist Magister geworden. A.* 1632 *auf Leipzig, und hat auf diesen Universitaeten seine Studia mit allem Fleiß getrieben, daß er in Philosophia und Theologia publice und auch priuatim praesidendo disputiret, Collegia Philosophica und Theologica gehalten.*

BERNHARDVS KRECHTING.

Natus est Lubecae an. 1622, & cum per aetatem liceret, *in disciplinam* (vtor verbis B. Suantenii in Memor. eius ap. Goetz. in Elogg. Germanor. Theol. p. 690) *ludi literarii Lubecensis traditus est. Per omnes deinde discentium classes solerte perrexit cognitionis egregiae incremento, usque dum idoneus peronatusque euaderet gymnasticae eruditionis assecla, cui & contubernium & conuictus & institutio celeberrimi Kirchmanni salutariter accommoderetur.* Ex Athenaeo nostro abiit Helmestadium, & inde Wittenbergam, in qua Academia, Philosophiae Magister renunciatus, Mathematicas disciplinas docuit. In patria an. 1649 Symmysta, an. 1673 Pastor Marianus & an. 1688 sacri ordinis

nis Lubecensis Senior est electus. Cunctis his muneribus ita praefuit, vt an. 1700 defunctus laudem non vulgarem relinqueret. Paulo ante mortem celebrauit Iubilaeum Gamicum cum vxore *Margaretha*, filia *Iacobi Stolterfohti*, Theologi Lubecensis celeberrimi, suo loco laudandi, quod cohonestatum non solum variis scriptis gratulandi caussa editis, verum etiam nummo argenteo, in cuius vna parte duo colligata corda, insignia Krechtingiana & Stolterfohtiana ostendentia, additis verbis: IRRVPTA. COPVLA. In altera vero haec Inscriptio: IN. MEMORIAM. IVBILÆI. GAMICI. A. M. BERNH. KRECHTING. MIN. LVB. SEN. ET. PAST. MAR. POST. L. ANNORVM. CVM. VXORE. MARG. STOLTERFOHTIA. CONIVGIVM. LVBECÆ. CELEBRATI. ANNO. MDCC. D. XXIX. APR. Vide omnino Nou. Lit. Mar. Balth. 1700. p. 159 sq. 346 sq. Add. Hilmeri Lob-Eck p. 52 sqq, vbi varia notabilia, ab ipso Krechtingio annotata, exhibentur. Mihi in primis laudandus videtur Krechtingius ob auxilium, quod tum docendo, tum subsidia subministrando praestitit tribus viris exellentissimis, quorum fama longe lateque per orbem vagatur. Primus est *Casp. Sagittarius*, qui ideo luculenta grati animi dedit indicia in Praefat. Harmon, Histor. Pass. I. C. Secundus est *Henr. Meibomius*, illustris Polyhistor Iulius, cui iuueni studiorum moderator praefectus fuit, & ab eo deinceps valde dilectus, imo in deliciis habitus. Vid. Suantenius l. c. p. 691.

Ter-

Tertius denique est *Iacobus a Melle*, Theologus & Polyhistor Lubecensis, de quo mox pluribus commentabimur. Memoria Krechtingii viget in templo Mariano, quod habet eius effigiem cum hac inscriptione:

Memoriae viri pl. reuerendi M. BERNHARDI KRECHTING, Eccles. huius Pastoris & Senioris, nati Lubecae A. 1622. 11. Febr. vocati ad Minist. 1649. 18 Octob. ad Past. 1673 27 Febr. denati 1700. 22. Octob.

HERMANNVS LEBERMANN.

Debet Lubecae ortum, quia in hac ciuitate an. 1645 d. 3 Ian. natus est: primam institutionem, quia in Gymnasio nostro Bangertum, Polzium, alios, habuit fideles magistros, vsque dum ab ipsis Praeceptoribus dignus iudicaretur Academiae candidatus: honores, quia an. 1679 Cathedralis templi Symmysta & 1704 Pastor fuit renunciatus. In laudem eius Auctores Nou. Lit. Mar. Balth. 1705. p. 256 isthaec scripserunt: *In ipso sancto munere, quod per XXVI. ferme annos magno cum Ecclesiae emolumento sustinuit, inter alia Prophetiam & Threnos Ieremiae 465 Homiliis exposuit, atque singulis fidem suam, industriam precesque probauit, vt memoria eius auditoribus suis nunquam non mansura sit gratissima.* Ibidem de morte eius non sine animi motu lego sequentia: *Cum d. 18 Jun. ipsi verba e Lutheri Catechismo essent facienda ad populum & in terram ante in via publica cecidisset, quam ipsum templum petiisset, vertigine quadam*

quadam in loco sacro ita opprimebatur, vt, concione nondum finita, Cathedram deserere fuerit coactus. Praefixit ideo Zach. Hasselmannus Vitae Lebermannianae titulum: *Ein auf der Cantzel gestorbener Priester.* Effigiem eius sistit Templum Cathedrale. Ipse Lebermannus digitum in apertum codicem Biblicum intendit, & quidem ad verba Es. XXXVIII. 16: *Herr, davon lebet man.* Addita est inscriptio:

Herr HERMANN LEBERMANN, Pastor dieser Kirchen, gebohren zu Lübeck 1645. den 3 Ian. ins Predig-Ampt vociret 1679. den 6 Nov. und von einem Schlagfluß mitten in seiner heiligen Arbeit überfallen den 18 Jun. 1705. darauf den 26 eiusd. selig verschieden, seines Alters 60 Iahr, 5 Monat, 15 Tage.

Herr, davon lebet man; *So hat* Herr Lebermann
Gelebet und gelehrt, und so ist er gestorben
Hat damit Ehr und Lob bey seiner Kirch erworben,
Lehr, leb' und sterbe so, wer dieses lesen kan.

HENRICVS LEMMICHIVS.

De hoc Theologo insigni pauca quaedam attulit Wittenius in Diar. Biogr. ad an. 1674: plura autem hic merentur annotari. Vidit lucem in nostra Lubecensi ciuitate an. 1601. d. 31 Dec. parentes nactus *Hieronymum Lemchen*, ciuem ac negotiatorem honestissimum, & *Elsabe Hübings*, feminam virtutibus praeclaris ornatam. In Athenaeo nostro pietatis, artium & linguarum fuit cultor egregius, quia diligentia eius nun-

quam

quam cessauit: prudens, quoniam non cruda Academiae intulit studia, sed ea passus est pervenire ad maturitatem, quippe anno demum aetatis secundo & vicesimo Academicum iter meditatus est. Profectus autem est Rostochium, vbi delicium fuit, vt doctorum omnium, ita in primis B. *Quistorpii*, qui eius commodis optime prospexit. Commoratus hic sex annos, an. 1629 Wittenbergam contendit, &, post elapsos duodecim menses, Ienam, vbi summum Theologum *Gerhardum* praeceptorem habuit fidelissimum, patronum maximum. Cum postea denuo Rostochiensem Academiam inuiseret, an. 1632 Philosophiae Magister eximia cum laude creatus est, & scholas priuatas multis non sine insigni vtilitate aperuit. A. 1638 a Magnifico Senatu Lubecensi Pastor Bergensis in Norwegia fuit electus, quod munus religiose gestum conciliauit ei hanc imagini ipsius subscriptam laudem: *Viua imago admod. reuer. clariss. & religiosiss. viri Dn. M. HENRICI LEMMICHII, Bergis Norweg. ad Templ. D. Martini per XXXV an. Past. quondam fideliss. Theologi & voce & scriptis de Ecclesia Christi bene meriti, nati* 1602. *vlt. Decembr. media nocte, ad Minist. vocati* 1638. *denati* 1674. *d.* 7. *Mart.* Conf. celeberr. Goëtzii nostri Biblioth. Anti-Pontif. Claror. Lubecenss. p. 11 sq. Henr. Oldenburgii, Lubecensis, Pastoris itidem Bergensis, Εὐθανασία Christiana p. 89, vbi laus eius recensetur & libri praedicantur. Qui mihi innotuerunt, sunt

Vindicatio generalis & specialis Librorum Apocryphorum & Veteris & Noui Testamenti, magnorum Theologorum

logorum Censurae subiecta. Lubec. 1638. 8. Libri huius Anti-Pontificii non ineruditi scopum declarant haec ipsius auctoris verba in Dedicat. p. b3: „Pontificios & grauiter & turpiter „errare in hoc opusculo, subsidio Bibliothe- „cae praeclariss. Theologi D. Nicolai Hunnii „per aetatem summe colendi, nostraque, di- „vina iuuante & fauente clementia, opera e- „laborato perspicuum euadit, vbi Syracides, „Sapientia, Tobias, Iudith, primus & secundus „Maccabaeorum &c. nobis Apocryphi dicti a „censu Canonicorum librorum vindicati in „suam dignitatis, vtilitatisue sedem collocan- „tur, quibus nonnulli libri N. T. improprie „Apocryphi dicti agglutinantur.

Reformirte Calvinische Schule, darin gelehret wird, was der Calvinisten Religion, oder Glaubens-Bekänntniß, und wie dieselbe aus GOttes unfehlbarem Worte zu reformiren und zu widerlegen sey, nebenst gutem Bericht, wie, und wann mit ihnen geistlicher Vertrag und Brüderschafft könne gemacht werden. Lub. 1648. 8.

Delineatio oder Abrieß etlicher Laster, verfasset in 20 Predigten, welchen sehr wichtige Laster-Fragen annectiret und beygefüget sind. Rostoch. 1664. 8. Praefixum est honorificum ordinis Theologici Rostochiensis iudicium.

Vindicatio Incarnati veri Messiae promissi ex Talmud & Rabbinorum scriptis desumta & contra refractarios peruicacesque Iudaeos directa, quae sibi adiunctas habet nonnullarum Theologico-Politicarum Quaestionum, de quibus in Christianorum Reb. publi-

publicis discreptatur, enodationes. Cui annexa est Dissertatio Lutherano-Catholica de nomine CATHOLICO Lutheranis attribuendo, Pontificiis auferendo. Rostoch. 1666. 8.

Antidotum Melancholiae. Vid. Witte l. c.

Reformirte Papistische Schule, darinnen gelehret wird, was der Papisten Religion oder Glaubens-Bekänntniß, und wie dieselbe aus GOttes unfehlbahrem Worte zu reformiren und zu widerlegen sey. Nebst einer Tabula de Gradibus in Ehe-Sachen wider des Pabsts Dispensation. Ratzeburg. 1680. 8. Moderatum valde Lemmichii scribendi genus omnibus modestis non potest non placere.

CASPAR LINDENBERG.

Theologus hic Lubecensis multarum rerum scientia celeberrimus inter maiores suos non solum generosa prosapia Luneburgia & Reuteria oriundos numerat, sed & virum clarissimum *Petrum Lindenbergium*, quem *Chronicon Rostochiense*, *Poëmata* & alia scripta immortalem reddiderunt. Natus est Lubecae an. 1665. d. 6 Ian. & a Patre in ipsa prima iam pueritia sacrarum litterarum studio fuit consecratus. Digna sunt repetitione, quae hanc in rem scripsit Auctor Vitae Lindenbergianae p. 2: *Insonderheit hat ihn sein seel. Vater, als einen werthen Benjamin, den er im Alter gezeuget, sehr geliebet, und nicht allein öffters geseegnet, sondern auch weil er von Priesterlichen Stamme, und ein besonderer Priester-Freund gewesen, von Jugend auf dazu gewidmet, daß er dem*

Herrn

Herrn dermahleins als ein Prediger in seiner Kirchen dienen solte. Daher er einsmahls, als er denselben gesehen, wie er sich als ein Kind mit Büchern getragen, zu der Mutter gesprochen, er würde zwar für seine Persohn die Zeit nicht erleben, daß er diesen seinen lieben Sohn zu dem Studio Theologico anhielte, und auferzöge; allein Sie, die Mutter, solte Sorge tragen, daß er keine andere Profession erwählete, so würde es Ihnen Beyderseits wol gehen. Hic finis obtineri non poterat, nisi fideli institutione egregia ipsius indoles iuuaretur. Factum hoc esse, B. Suantenius in Memoria eius his verbis testatur: *Enitescebat perquam eximia indoles in tenera prole, cui, cum paterna mors triste pupulli nomen daret, succurrebat mature prouida viri nobiliss. & ampliss. Laurentii Petersen, Senatoris prudentiss., iam vitrici ipsius, cura, vt fideli committeretur institutioni Pastoris Slutupensis meritissimi Io Köenen, ac litteraturae politiori moribusque concinne adornandis assuefieret. Sed enim, quando altera iam vice dolens vidua, carissima genitrix, an. 1676 nubebat viro nobilissimo atque consultissimo Henrico Balemanno, V. I. D. excellentissimo & Senatori ac Camerario Lubecensi celeberrimo, indulgente huius ac vere paterna cura reuocatus Slutupio, viris praeclare ac insigniter merentibus tunc de publico Lubecensi Ephebeo, tanquam vbere bonorum genitrice ingeniorum, Hinckelmanno (cuius per integrum annum priuatissima vsus est institutione) Lipenio, Brüggio, Franckio, solidiori imbuendus intelligentia tradebatur.* Publicum industriae & profectuum insignium specimen dedit an. 1683. m. Martio, habita Hinckelman-

 nianis

nianis auspiciis in Gymnasio nostro *de Morte Messiae* Oratione. Eodem anno Rostochium se conferebat, vbi, praeter alios, *Varenium* & *Schomerum* praeceptores sibi elegit. An. 1685 eum, linguarum orientis cupidissimum, celeberrimum Edzardianum nomen, quod hoc litterarum genere hodieque inclytissimum est, Hamburgum pertrahebat, quod, Hebraicis & Rabbinicis litteris probe imbutus, cum Wittenberga, & tandem Lipsia, permutauit, vbique virorum optimorum ductu ad solidam eruditionem contendens. Neque aliam ob causam an. 1688 petebat Belgium, &, hoc perlustrato, Angliam, in cuius Academia Oxoniensi non solum Bodleiana Bibliotheca vsus est, sed etiam institutione *Abendanae*, Iudaei doctissimi, qui reconditam Rabbinicam & Talmudicam doctrinam ipsum docuit. Intra patriae fines receptus an. 1692. d. 28 Ian. Ecclesiastes Ioanneus vocatus est, an. autem 1707. d. 31 Mart. Pastor Petrinus. Memoria Theologi πολυγλώττου (nam praeter linguas orientales, Graecam ac Latinam, callebat quoque, teste Anonymo Vitae ipsius Germanica lingua conscriptae auctore, Anglicam, Belgicam, Gallicam, Italicam & Hispanicam) superest in Templo nostro Petrino, vbi eius effigiei sequentia verba addita:

CASPARVS LINDENBERG, Pastor dieser Gemeine, ward gebohren An. 1665. den 6 Ian. Prediger an S.

Johan-

Johannis erwehlet 1692. den 28 Ian. zum Pastorat dieser Kirchen beruffen 1707. den 31 Mart. starb in dem Herrn seliglich 1713. 27 Apr.

Du siehst, mein Leser, hier ein Bild und Schatten stehen,
Denn Mann, dem GOtt verlieh viel Geist und Muth und Stärck:
Laß, was er lehrte, dir an Hertz und Seele gehen,
Es war das reine Wort, kein Bild noch Schatten-Werck.

Superest etiam merito in orbe erudito, quia non solum celeberrimi Nouorum Literariorum Maris Balthici & Septentrionis auctores eum diligentem laboris socium habuerunt, sed etiam haec eius ingenii monumenta possunt citari:

Erbauliche Abend Stunde, oder kurtze Anleitung zur täglichen Selbst-Prüfung. Lub. 1700. Hunc vtilem librum edidit sub nomine Christi Liebhaber.

Geistliches Exempel-Buch für Kinder, das ist: Ein ausführlicher Bericht von der Bekehrung, heiligem und exemplarischen Leben, wie auch frölichem Tode, unterschiedlicher jungen Kinder. 1700. 12. Hunc librum ex Anglica in Germanicam linguam transfudit. Titulus Anglicus est: *James Janneway Holy Token for Children.*

Scholion de Vitris & Poculis ominosis. Nou. Lit. Mar. Balth. 1700. p. 166. sqq.

Epistola ad Albertum Balemannum, Pastorem Kirchwerderanum, de loco quodam Talmudico: שלשה עזין הן ישראל באומות כלב בחיות תרנגול בעופות *h. e. Tres sunt impudentes, Israëlita inter gentes, canis inter animalia, gallus inter aues.* Vid. l. c. 1701. p. 28 sqq.

Epistola ad Henricum Balemannum, Reip. Lubecensis Secretarium (hodie Senatorem, supra iam laudatum), *fratrem vterinum, de non contemnendis ex Lingua Hispanica Vtilitatibus Theologicis.* Prodiit illa primum seorsum in 4., deinde inserta est citatis Nouis Liter. 1702. p. 301 sqq. *Eximia pariter ac erudita* merito vocatur a Christian. Henr. Postello in Epistola de Linguae Hispanicae Difficultate, Elegantia ac Vtilitate l. c. 1704. p. 112.

Scholion de Erroribus Typographicis. l. c. 1706. p 12-32.

IACOBVS LIPPIVS.

Filius *Danielis Lippii*, viri de Schola nostra per multos annos optime meriti, de quo infra in *Historia Athenaei*, Numine annuente, plura dicam. Editus est Lubecae an. 1638 inque Athenaeo patrio auspiciis optimorum praeceptorum praeclare didicit. Creuit litteris ex animi sententia Ienae, vbi an. 1658 *Io. Andr. Bosii* Dissertationem *de Characteribus beatae Reipublicae e prooemio Vitae Agricolae a Cornelio Tacito scriptae* tuitus est; & Rostochii, vbi doctoris sui *Augusti Vare-*

ni

nii Diſp. XXI *Scholae Iſaianae* an. 1659 pro roſtris Academicis defendit. An. 1667 d. 12 Sept. in patria Cathedralis Eccleſiaſtes fuit deſignatus, laudeque inſignis an. 1674 mundum reliquit. Fidem verbis meis faciet inſcriptio Epitaphii in Cathedrali templo hodieque apparentis:

In effigiem admodum reuerendi & clarisſimi viri, Domini IACOBI LIPPII, nati anno 1638. 1 *Sept. denati anno* 1674. 24 *Dec. ad Cathedrale hoc Templum verbi diuini Miniſtri ſeptem per annos optime meriti.*

En, Lector, ſanctam faciem, corpusque ſubactum
LIPPIADAE, Chriſti ſpiritus ore micat.
Gloria, fama, decus, virtus, doctrina, voluptas,
Diuitiaeque ipſi ſolus IESVS erat.
Ardens & ſplendens lumen diuina docendo,
Viuendique modo praeuia flamma fuit.
Aedes haecce memor ſacrataque concio ſemper
Lippiadae iuſti labra beata colet.

Scripta eius, quae mihi innotuere, ſunt

Oratio de Literis Principi & Reip. ſumme neceſſariis, Ien. 1658. 4.

Bellarminus deuius in Articulo de Bonis Operibus. Roſtoch. 1661. 4.

De Vrbibus Germanicis, & praeſertim Lubeca eum quoque litteris nonnulla conſignare voluiſſe, patet ex Epiſtola Boſiana Characteribus Beatae Reipublicae praefixa, digna omnino, quae hic etiam legatur:

 Cl. Vi-

„ Cl. Viro

„ *Henrico Bangerto*

„ Polyhiſtori eximio

„ *Io. Andreas Boſius*

S. D.

„Redit ad Vos, Bangerte Clariſſime, quem ſub „finem anni ſuperioris ex illuſtri Iulia ad nos „tranſeuntem commendatum nobis voluiſti, „*Iacobus Lippius*, iuuenis, vt ex vero praedica„bas, optimus, nec ſolum ingenio, quod ei „diuino munere praeſtantisſimum obtigit, ſed „pietate etiam ac modeſtia, morumque recti„tudine egregius; verbo, is, quem nemo bo„nus non amet. Redit autem cum doctrina „non parum auctus, tum & vno alteroque in„genii atque induſtriae ſpecimine comitatus. „Cum enim compertum haberet, vix quen„quam (vt nunc ſunt mores) bene tempus in „Academia collocaſſe credi, niſi conſcenſa ca„thedra fidem profectuum ſuorum publice fe„cerit, ſibi quoque, etſi alioquin minime va„nus aut praecox, hunc morem ſequendum „duxit, non tam vt rumori ſeruiret, quam ne „diffidere ingenio ſtudiisque ſuis videretur. „Ceterum cum Tuo ductu, ſingularique ani„mi propenſione, ea maxime doctrinae gene„ra, quae ab humanitate nomen adepta ſunt, „in his eloquentiam, hiſtorias & politicen, a„mauerit ac coluerit, in iisdem & conſpici vo„luit. Ac dicendi quidem facultatis haud ru„dem ſe oſtendit eleganti oratione *de literarum* „*in repub. neceſſitate*, quam non ita pridem fre-

quenti

„quenti Auditorio, secundo Procerum Acade-
„micorum studiosaeque iuuentutis adplausu
„vsus, memoriter recitauit. Quos autem in
„historia ciuilique doctrina progressus fecisset,
„monstraturus erat *Exercitatione de Vrbium Germa-
„nicarum, praesertim Imperialium ac sigillatim incli-
„tae patriae LVBECAE, origine ac progressu*, ab
„se adornari coepta, nisi interuenissent, quae
„hoc eius consilium turbarent, animumque a-
„lio verterent. Ne tamen nullum operae huic
„studiorum generi impensae specimen ederet,
„hanc Dissertationem Academiarum more pro-
„pugnandam suscepit, ratus, sic quoque se dili-
„gentiam suam, saltem aliquam, patronis
„suis adprobare posse. In cuius frontispicio
„haec ad te non ideo tantum praefari volui, vt
„praestantissimi iuuenis conatus debito ipsis
„elogio ornarem; sed etiam vt hoc veluti pi-
„gnore nuper inter nos initam amicitiam alerem
„pariter & apud alios testarer. B. V. Vir erudi-
„tissime, & post Helmoldum, quem cupide ex-
„spectamus, subinde alios aliosque cultissimi in-
„genii Tui foetus bono rei literariae enitere. Scri-
„beb. raptim IV. Kal. Iul. Anno cIↃ IↃc LIIX.

HENRICVS LVBBERTVS.

Lubecae vidit lucem an. 1640. d. 19 Iun. susceptus patre *Henrico Lubberto*, statuario & matre *Catharina Warneckenia*. Parentum voluntate esset facillime a litterarum studiis retractus, nisi ipse ab ineunte pueritia incredibili earum cupiditate flagrasset, re domi valde angusta mini-

me impeditus. Imo vero in nostra eruditae pietatis & piae eruditionis officina ducibus Seb. Meiero, Henr. Bangerto & aliis adeo feliciter didicit, vt ipse valde iuuenis alios cum fructu potuerit docere. Audiamus ipsum Lubbertum in Dedicat. Lutherani Paganizantis (quem librum SS. Trinitati dedicauit) ita de se scribentem: *Meiner lieben seeligen Eltern Rath und feste Meynung war, mich, nach wolgelegtem Grunde in der wahren Gottesfurcht und Lateinischen Sprache bey ihrem Hand-Werck anzuführen; allein nach deinem Rath, mein GOtt, leitest du mich anders, nemlich durch eine innerliche Neigung und innigliche Lust zum studiren; und daß ich nicht leblose Bilder schnitzen, und im Holtze, sondern künfftig im Worte und in der Lehre arbeiten solte, dadurch lebendige Menschen wieder in dein heilig Bild und in die Gestalt Christi zu verklären. Meine lieben seeligen Eltern wusten keinen Rath, und woher die Kosten, so das Studium erfordert, kommen solten: suchten demnach aus Menschlicher Schwachheit auf alle Wege deinen damahls noch ziemlich verborgenen Rath zu hintertreiben, und mich, mit häuffiger und heimlicher Vergiessung meiner Thränen, in den freyen Schul- und Lehr-Stunden bey ihrem Hand-Werck zu gebrauchen. Allein dein Rath, mein GOtt, weil du mich, ehe ich von der Mutter gebohren bin, zum Predig-Ampt ausgesondert hast, muste doch bestehen, und denselben zu vollführen erweckest du den seeligen Herrn M. Henr. Bangertus, Schol. Conr. Dieser liebe Mann nahme sich meiner an, und gabe mir einige Privatisten, unter welchen sonderlich der (Tit.) Herr Obr. Bernhard Plönnies, und die beyden Brüder*

(Tit.)

(Tit.) *Henrich Dieterich und Anton Iohann Kerckring, ietzo noch meine wehrte Freunde, auf seiner Stuben und unter seinem directorio zu informiren. Da hieß es fast: Ein Kind (aet. anno 14) lehret das andere, doch halffest du mir, mein GOtt, glücklich damit fort.* -- Adiutus autem in primis est ab *Henr. Wedemhofio*, Patricio & Senatore, qui eum, cum in Athenaeo nostro discens fuisset filiorum suorum paedagogus, lauto deinceps stipendio ornauit. Vnde etiam post mortem Wedemhofii beneficia sibi praestita gratissimo animo agnouit. Etenim an. 1674. d. 24 Sept. ei *Panegyricum parentalem* in Auditorio Cathariniano publice dixit. In Progr., quo ad hanc solemnem Orationem auditores inuitauit, inter alia Wedemhofium alloquitur: *Quam tibi, beate vir, hospes quondam per triennium beneuolentissime, fautor de me meisque studiis splendide merite, quam tibi debeo, pietas & gratus in te animus has mihi dicendi partes imposuit. Faustus mihi laetusque dies extitit, quo ante septendecim annos in aedes tuas primum fui delatus, filiorum, quos virtutum tuarum aemulos habebas, paedagogus. Nutabant tunc temporis in ipso ferme initio studia mea, iam iam collapsura, sed tua (si a Deo discessero) benignitate atque munificentia sublevata sunt atque confirmata. Non hospes mihi, sed pater eras, paterno me complectebaris amore, eum te semper fui expertus, qualem nec vota ulla optatiorem elegissent; quot quantaque collata in me benefactorum officiorumque merita, nullo non tempore, dum superstes ero, grato pectore praedicanda.* Ex Athenaeo nostro an. 1660 Wittenbergensem Academiam adiit. *Wittenberg*, inquit in cit. De-

dicat. Lutheran. Paganiz., *war die Academie, wohin du mich von unser Stadt-Schule leitetest.* Ibi vti diligentiam praestantissimis doctoribus publicis probauit, ita inprimis *Georgio Meiero*, celebri Philosopho, adhaesit. Anno 1663 patriam repetiit, interiectis septem annis a Magnif. Senatu Lubecensi muneri sacro Behlendorfii obeundo admotus. Quantopere hic sit afflictus atque tentatus, haec eius verba in cit. Dedic. occurrentia declarant: *Bâhlendorff mir wol ein rechtes Quâlendorff. - - Bâhlendorff ist gewesen in gewisser Maasse mein Sodom, da man mich gequâlet: mein Egypten, da man mich gedrücket: mein Babel, da man mich gedrânget hat. Bâhlendorff ist mir gewesen eine Wild-Bahn, da man mich verfolget: ein Schweiss-Bad, da man mich geängstiget, und fast ein Folter-Hauss, da man mich gemartert hat.* Non deseruit tamen miserrimam stationem, sed vsque ad vitae finem, quem habuit an. 1703. d. 23 Mai. in eadem permansit, strenuus semper ζηλωτὴς & accerrimus vitiorum censor. Demonstrant hoc etiam nonnulla eius scripta, vitia eorumque sectatores acri valde censura castigantia. His male vsus est Godofredus Arnoldus, quem, constat, saepe ad eadem prouocare. Ita e. c. in Declarat. vom Secten-Wesen p. 21 scribit: *Ich kan mich so wenig vor einen Lutheraner im gemeinen Verstand, als vor einen Türcken, Heyden und Barbaren bekennen, weil vorlängst in gantzen Büchern von Luthero, Fritschio,* Lubberto *und andern bewiesen ist, dass die Lutheraner noch ärger als Heyden und Türcken seyn und leben.* Quam falso & peruerse autem Lutherus & Fritschius

ſchius hic citantur, tam longe etiam ab Arnoldi ſententia Lubbertus fuit remotus. Teſtes adſunt Clariſſ. Auctores Nouor. Liter. Mar. Balth. qui Lubbertum melius, quam Arnoldus nouerunt. Illi vero an. 1703. p. 168 hoc Lubberto teſtimonium dederunt: *God. Arnoldum in Hiſtor. Eccleſ. & Haereſ. ſaepiſſime ad B. Lubberti ſcripta prouocare deprehendimus, ſed noſtrum abs Arnoldi mente fuiſſe alieniſſimum, his ipſis aſſeueramus.* Scriptorum Lubberti multam & eruditam lectionem oſtendentium, adiiciam plenum catalogum. Sunt autem

Puſillus Grex Electorum, das iſt: Einfältige doch Schrifftmäſſige Betrachtung der wichtigen und nothwendigen Frage: Woher es komme, und wer deſſen Urſach, daß der gröſte Hauff der Menſchen verdammet werde? Lub. 1666 & 1667. 12.

Adamus Theo-Phyſiologus perfectus ſ. Diſcurſus Theol. de Adami perfecta in rebus diuinis & naturalibus ſcientia concreata. ibid. 1669.

Diſcurſus Philologicus de antiquo lauandi ritu ex probatiſſimis tam Graecis, quam Latinis ſcriptoribus ſacris ac profanis formatus. ibid. 1670. 4.

Θανατολογία, *das iſt: XV Gottſeelige Todes-Betrachtungen, worin die eigentliche Beſchaffenheit des Todes, und wie man ſich zum ſeligen Abſchied in JEſu ſtets bereiten ſoll, aus GOttes Wort einfältig wird vorgeſtellet.* ibid. 1670. 12.

Bonus Paſtor, das iſt, kurtzer Bericht, was von einem jeden rechtſchaffenen Prediger, der ohne Aergerniß zu GOttes Ehren und zu ſeiner ſelbſt eignen, wie auch derer ihm höchſt-anvertraueten Seelen Beſeeligung

sein Ampt mit gutem Gewissen führen wil, erfordert werde. Ratzeb. 1671. 12.

Ηλιολατρεια, *hoc est, Exercitatio Philologica de Solis Cultu Gentilibus, Iudaeis & haereticis nonnullis usitato, ex probatissimis tam sacris quam profanis scriptoribus.* 1672. 12.

Αναθεματολογία, *das ist, Einfältiger, doch Schrifftmässiger Bericht vom Kirchen-Bann, was derselbe sey, wie er im alten und neuen Testament nach GOttes Ordnung und Willen heilsamlich gebrauchet, auch von Juden und Papisten schändlich mißbrauchet, wie auch dessen rechtmässiger Gebrauch zu diesen letzten gottlosen Zeiten wieder einzuführen hochnothwendig wäre.* Lub. 1672. 12.

Sabbatum profanatum Christiani orbis exitium, oder wie der heilige Sonn-Tag in der ersten Kirchen hoch und heilig gehalten, jetzt aber von den Evangelischen Christen fast ärger als von Juden, Türcken und Heiden geschändet, und eben dadurch alles heutige Krieges-Elend und Verderben, wie der gerechte GOtt längst gedräuet hat, über die gantze Christenheit gezogen werde. ibid. 1673. 12.

Faaß-Nachts Teuffel, das ist kurtzer doch Schrifftmässiger Unterricht, daß das Faaß-Nacht-schwermen, Sauffen, Tantzen, Herümb-lauffen, Rasen &c. nichtes anders als eine heidnische und schändliche Anbetung des Teuffels sey. ibid. 1673. 12.

Schrifft- und Vernunfft mässiger Unterricht von der Waffen-Cur, wie dieselbe wider GOtt und alle Vernunfft streite, ein hauffen abergläubische und unchristliche Possen mit sich führe, und auf nichtigen, fal-

falschen, ungereimten, Zauberschen und unverantwortlichen Gründen bestehe. ibid. 1675. 12.

Calvinischer Sauerteig von Martin Müller *in der Erklärung der Sonn-und Fest-tägigen Evangelien mit untermenget, aber zu GOttes Ehren und Unterrichtung seines Mit Christen nach der geoffenbahrten reinen Evangelischen Wahrheit ausgefeget.* 1686. 12.

Einfältige Gedancken über etliche Mängel in Evangel. Kirchen- und Lehr-Stand, nach dem Theologischen Vorschlag seel. Hn. D. Balth. Meisneri. 1686.

Das weyland verkehrte und bekehrte Teutschland in seiner vorigen Heidnischen Abgötterey, und nachmahliger Bekehrung zum Christlichen Glauben. Ratzeb. 1691. 8.

Der Heyden Beruff im A. T. das ist, Einfältiger, doch Schrifftmässiger Bericht, wie und welcher Gestalt die Heyden zur Zeit des Alten Testaments von GOtt, als einem Lebens-Liebhaber, zur wahren rechtgläubigen Kirchen und zu ihrem ewigen Seelen-Heyl beruffen sind. ibid. 1691. 8.

Das Bekehrte Heidenthum in dem allgemeinen Beruff, da nemlich GOtt zu Anfang des Neuen Testaments das Wort des Evangelii zur Seeligkeit in der gantzen Welt allen und jeden Völckern hat predigen und kundthun lassen. ibid. 1693. 8.

Lutheranus Paganizans, das ist, der Luthersche Heyde in denen Sünden, die nach der Heyden Weise wider das Heil. Gesetze GOttes in unserm Lutherthum begangen werden. ibid. 1693. 8.

Der

Der von den erbahren Heyden verdammte Lutherſche Schein-Chriſt, in denen Stücken, die zum GOttes-Dienſt und Kirchen-Stand gehören. Lub. 1698. 8. Capita huius libri enumerantur in Nou. Lit. Mar. Balth. 1698. p. 147.

Der von den ehrbaren Heyden verdammte Lutherſche Schein Chriſt in den Stücken, die zum Weltlichen und Regier-Stande gehören. Ratzeb. 1699. 8. Contenta libri dantur l. c. 1699. p. 127.

Der von den ehrbaren Heyden verdammte Lutherſche Schein-Chriſt in denen Stücken, die zum Häuſslichen und Nehrſtande gehören. Lub. 1700. 8. Recenſetur l. c. 1700. p. 288.

Der von den ehrbaren Heiden verdammte Lutheriſche Schein-Chriſt in denen Tugenden, die die andere Taffel des Geſetzes im gemeinen Leben erfordert. Ratzeb. 1701. 8.

HECTOR GODOFREDVS MASIVS.

Theologum hunc fama meritisque clariſſimum pagum Ratzeburgenſem Slagsdorfium natiuitate ſua an. 1653. d. 13 April. illuſtraſſe, Legationi Danicae in Galliam ſuſceptae an. 1682 Paſtorem adfuiſſe, deinde, cum an. 1685 in Daniam eſſet reuerſus, Theologiae doctoris publici, Concionatoris Aulici & ſanctioris Senatus membri honoribus fuiſſe auctum, eruditisſimisque ſcriptis erudito orbi ſumma cum laude inſeruiiſſe, a Celeberr. Lintrupio, Academiae, Haf-

Hafnienſis perinſigni ornamento in Vita B. D. Maſii, quae vna cum Maſii *Diſſertationibus* (pro quarum editione litterata respublica ſe valde obſtrictam nomini Lintrupiano fatebitur) mox prelo liberabitur: Cl. Raupachio in Commentat. de Rei ſacr. & litter. in Dan. Statu p. 47 ſqq. vbi ſemicenturia fere ſcriptorum Maſianorum numeratur: Auctoribus Lexic. Erud. Germ. p. 1289 & aliis iam eſt memoriae proditum. Ephemeridum quoque ſcriptores paſſim foetuum ingenii Maſiani honorificam mentionem iniiciunt. Nolo igitur actum agere, ſed ea tantum, pace laudati Lintrupii, ex eius Vita Maſiana, Programmate Academico enarrata, exhibebo, quibus laudatiſſimum Maſii curriculum ſcholaſticum Lubecenſe deſcribitur. *Quem* (patrem, *Nicolaum Maſium*, Paſtorem Slagsdorſenſem, primum filii ſui praeceptorem, intelligit) *cum facilitate mira non admitteret tantum, ſed & properata, praeter aſſueti temporis legem, celeritate praeuerteret pectus, fauente Prometheo, de nobiliore argilla ad vnguem formatum ac perpolitum, accedente ad hanc indolis bonitatem ſancta educationis ſeueritate & ſedula Praeceptorum dexteritate ita in religionis defaecatae litterarumque humaniorum tirociniis ſubito adoleuit excitatiſſimus Muſarum & Charitum Amaſius, vt vix dum duodecennem publica Lubecenſium palaeſtra viderit, diligentia & profectu primum cum aliis, tum ſecum ipſo certantem. Vbi facem praeferente* Nottelmanno, *viro de his ſtudiis praeclare merito, totum elegantioris litteraturae circulum,*

culum, inferioris orchestrae spatiis definitum, tam citato vnius triennii cursu absoluit, vt volasse crederes, qua alii repunt, aut si felicior genius, subsultim eunt, & nondum tertio aetatis suae lustro expleto, dignus Magistris & Fautoribus censeretur, qui aliis, impari gressu ad eandem metam tendentibus, se ducem atque auctorem industriae praeberet, & commilitones non tantum exemplo atque adhortationum celeusmate stimularet languentes, sed & filo praeceptionum Ariadnaeo duceret haesitantes. Omni igitur iure praecocibus eruditis est addendus.

CASPAR MAVRITIVS.

Huic Theologo praeclarissimo locus etiam est hic assignandus, quoniam *cum ageret annum sextum decimum* (vtor verbis, quae leguntur in Memor. Mauritian. ap. Witten. Dec. XV Memor. Theolog. p. 1860) *Lubecam mittebatur magis erudiendus. Ibi loci I. Kirchmanno, Scholae moderatori longe celeberrimo, adeo probabatur, vt cum filii studiis praeficeret.* Natus autem est in oppido Tunderensi an. 1615: Academica studia tractauit Rostochii & Regiomonti: munia Conrectoris Bordesholmensis, Professoris Logices, Archi-Diaconi Mariani, Professoris Theologiae, Pastoris Mariani & Superintendentis Rostochiensis, ac tandem Pastoris Iacobaei Hamburgensis ea fide ac prudentia administrauit, vt an. 1675 vna cum vxore lamentabili funere elatus magnum sui desiderium relinqueret. Nota sunt eius scripta Philosophica, Anti-Caluiniana,

na, Anti-Sociniana, Practica & alia, quorum index apud Wittenium p. 1868 reperitur. Ex praeconibus eius nominasse sufficit solum Morhofium, in ipsius effigiem hos versus pangentem:

En tibi Mauritium color hic pictoris adumbrat,
Cui pietas nullo picta colore placet.
Pingite Mauritium pictores, scribite vates:
Mauritium pingit non nisi Mauritius.
Noster eras quondam, nostri pars magna Roseti;
Hammopolis mystam nunc fouet alta suum.
Non tua fama loco nomenque tenetur ab vno,
An teneat tantum parua tabella virum?

Plura de Mauritio dabunt citatus Wittenius in Diar. Biograph. ad an. 1675. d. 14 April. Freherus in Theatr. p. 711 sq. Lexic. Erudit. Germ. p. 1302.

IACOBVS a MELLE.

Virum hunc de Lubeca eiusque historia & antiquitatibus praeclarissime meritum (qui ideo *bonos Lubecae nostrae* audit B. Andr. Langio in Introduct. in Notit. LL. Nauticar. & scriptor. Iur. reique marit. p. 39) nostris Athenis esse inserendum, supra iam euici ex eo, quod *Herm. Nottelmanni*, Rectoris, & *Io. Pölzii*, Conrectoris, diligens fuit auditor. Vitam suam ipse consignauit in Notit. Maior. p. 7 sq, ex qua breuiter obseruamus, quod an. 1659. d. 17 Iun. Lubecae

editus ſit in lucem: an. 1674 (aet. 15) in Academiam Kilonienſem ſe contulerit: an. 1676 Ienam conceſſerit, ibidemque perpetuo *Caſp. Sagittarii* contubernio vſus ſit & an. 1680, ſummis in Philoſophia honoribus Ienae inſignitus, Roſtochium petierit. Ibidem docet, quod vtrumque Belgium, Angliam, Galliam ac Germaniam peragrauerit, & Argentorati aliquantiſper ſubſtiterit, vt ſummum Theologum, *Seb. Schmidium* audiret. Ad tam egregia perficienda vſui ſibi maximo fuiſſe larga ſubſidia Krechtingiana, ipſe non diffitetur. Gratum in primis animum declarat in ſcripto Germanico, occaſione Iubilei Gamici Krechtingiani edito, his verbis: *Solche Freude und Augen-Luſt hat zwar der liebe GOtt unſerm Hn. Seniori und deſſen Eheliebſten nicht gegönnet, indem er ihren funffzig-jährigen Eheſtand mit keinen Leibes-Früchten geſeegnet hat; doch hat es ihnen gleichwol nicht an Wahl-und Pflege-Kindern gemangelt, von denen ſie noch auf dieſe Stunde als Eltern und Groß-Eltern geliebet und geehret werden. Zu deren Zahl ich dann mich billig rechne, und meine Schuldigkeit zu ſeyn erachte, bey ſolcher Gelegenehit öffentlich für aller Welt zu rühmen, was ich dieſem werthen Paare ſchuldig bin; als welchem ich zwar nicht das Leben, aber viel ein mehrers als das natürliche Leben iſt, nemlich meine Erziehuug von Kindes-Beinen an, alle meine zeitliche Wolfahrt, ja ſolche Gutthat und Liebe, als wie der tauſendſte von ſeinen leiblichen Eltern nicht geneuſt, zu dancken habe.* Patriae an. 1683 redditus, ſtatim an. ſubſequente d. 10 April. Symmyſta Marianus fuit electus

&

& an. 1706. d. 26 Aug. ad Paſtoris dignitatem aſcendit. Scripta eius ſunt

Hiſtoria antiqua, media & recentior Lubecenſis. Ien. 1677. 78. & 79. 4. Quatuor omnino ſunt Diſputationes (ad hiſtoriam enim mediam duae pertinent), quibus, praeſide inclyto Polyhiſtore *Caſp. Sagittario* pro Academicis roſtris defenſis ac ventilatis, in Lubecenſem Hiſtoriam ita inquiſiuit, vt ipſe Sagittarius in Dedicat. Diſſert. Inaug. de Natalitiis Martyrum eum dixerit *iuuenem, vti ad omnes elegantiores litteras; ita ad conſcribendam hiſtoriam patriam ſuo iudicio natum; qui, ſi qua coepit via, per diuinam gratiam perrexerit, non modicae ſibi fuerit voluptati ad illuſtrandam Lubecam lampada ei tradidiſſe.* Conferatur Cl. Reimannus in Hiſt. Lit. German. Nou. p. 549, vbi iudicat, *daß er allen, die ſich vor ihm dergleichen unterfangen, den Preiſs weggenommen habe.* Add. omnino Biblioth. Hiſtor. Hamb. Cent. III. p. 159 ſqq, cuius meritisſimi Auctores (r) non minus honorifice ſentiunt. Nec aliter cenſet Cl. Mollerus in Iſagog. ad Hiſt. Cherſoneſ. Cimbr. p. 438.

Epiſtola ad Caſp. Sagittarium, de antiquis quibusdam Nummis Germanicis, Hiſtoriam Thuringicam illuſtrantibus. Ien. 1678. 4.

Hiſtoria Vrnae ſepulcbralis Sarmaticae. Ien. 1679. 4.

Diſſertatio de Salutandis atque Salutantibus ex Epiſtolis D. Pauli Apoſtoli. Roſtoch. 1681. 4.

(r) Hi ſunt tria Hamburgi ornamenta *Ioannes Albertus Fabricius, Michael Richey & Ioannes Hübnerus.*

Lumen Historiarum nostri temporis. Lubec. 1696. 8. Recensetur in Biblioth. Histor. Hamb. l. c. p. 166 sq.

Specimen Sylloges Nummorum ex argento vncialium. Hamb. 1696. 4.

Sylloge Nummorum ex argento vncialium, vulgo Thalerorum seu imperialium, quos Imperatores & Reges Romanorum, nec non Austriae Archiduces signari iusserunt. Lubec. 1697 & 1698. 4. Vid. Nou. Lit. Mar. Balth. 1698. p. 44 sq. In Biblioth. Histor. Hamb. l. c. p. 161 sqq non sine multa laude recensetur.

Curieuses Thaler-Cabinet. Lub. 1697. 4.

Lubeca Litterata anni 1698. 1699 & 1700. Lub. 8. Vid. Nou. Lit. Mar. Balth. 1698. p. 16. 1699. p. 32. Honor coepti primum huius instituti est omnino Mellio nostro tribuendus. Is enim aliis, & mihi quoque, qui pluribus in locis simile quid tentarunt, facem praetulit.

Noua Literaria Maris Balthici & Septentrionis anni 1698. 1699 & 1700 *Lubecae edita.*

Relatio de curiosis nonnullis circa Tumulos Sepulchrales Cimbricos Obseruationibus, quas cum illo communicauit V. Cl. Christianus Dethleuus Rhodius, Ecclesiae Barmstettensis in Comitatu Ranzouio Pastor. Inserta est Nou. Lit. Mar. Balth. 1699. p. 88 sqq.

Series Regum Hungariae e Nummis aureis, quos vulgo Ducatos appellant, collecta & descripta ac Imp. Caes. LEOPOLDO, P. Fel. Aug. P. P. Optimo Principi humili ac deuota manu oblata. Lubec. 1699. 4. Vid. Nou. L. M. B. 1699. p. 126 sq. Biblioth. Hist. Hamb. l. c. p. 164 sqq.

Archon-

Archontologia Pugillaris, aeri incisa. Lubec. 1699. 16. De hoc Compendio Historico-Genealogico-Heraldico leg. ead. Bibl. Hist. Hamb. p. 167 sq. In Academia Rostochiensi D. *David. Henr. Koepkenius*, Professor, in hanc Archontologiam publicas habuit praelectiones. Vid. Nou. Lit. Mar. Balth. 1705. p. 4.

Descriptio antiquissimi cujusdam Luci, superstitiosis gentilium Cimbrorum Sacrificiis destinati. Leg. Nou. Lit. M. B. 1699. p. 286 sqq.

De Ludis Saecularibus veterum Romanorum scriptum Germanicum, Iubilaeo Gamico Krechtingio-Stolterfothiano consecratum. Lub. 1700. fol.

Scholion de Reliquiarum Cultu, insertum Nou. Lit. M. B. 1700. p. 294 sqq.

Cornu Septentrionale antiquum, affabre caelatum, e museo ipsius descriptum in cit. Nou. L. 1701. p. 60 sqq.

Seruatoris crucifixi Signum aeneum antiquum, e museo ipsius descriptum. l. c. 1702. p. 29 sqq.

Testamentum antiquum curiosum, ab Hermanno Hose, Presbytero Lubecensi, anno MCCCL conditum, edidit l. c. 1705. p. 381 sqq.

Testamentum antiquum, Lubecae an. 1383 conditum, cum Notis euulgauit l. c. 1706. p. 281 sqq.

Notitia Maiorum, plurimas Lubecensium, aliorumque clarorum virorum, de Ecclesia, Republica, & litteris egregie meritorum Vitas, ab aliquot saeculis repetitas & documentis authenticis illustratas, comprehendens. Lips. 1707. 4. Prolixa ex hac Notitia excerpta leguntur l. c. 1707. p. 187 sqq. Quaedam etiam de ea habentur in Biblioth. Hist. Hamb. p. 168 sqq.

De Balneis Animarum Lubecensibus Epistola. Lubec. 1710. 4. Vid. Relatt. Innox. 1710. p. 253. Bibl. Hist. Hamb. l. c. p. 169 sq.

De Itineribus Lubecensium sacris, seu de religiosis & votiuis eorum Peregrinationibus, vulgo Wallfarthen/ *quas olim deuotionis ergo ad loca sacra susceperunt, Commentatio.* Lubec 1711. 4.

Chronici minoris Lubecensis, Germanica lingua conscripti, supra p. 24 iam est mentio facta.

De Echinitis Wagricis ad V. Cl. Ioh. Woodwardum Epistola, Lubec. 1718. 4. Leg. Act. Erud. Lips. 1718. m. Iul. & ex iis Neue Zeitungen von gelehrten Sachen 1718. m. Iul. n. 55. p. 439 sq.

Lubeca Religiosa plane est absoluta, & multis antiquis documentis instructa. Vt mox prodeat in lucem, multi mecum optant.

Haec sunt scripta Mellii nostri, iis accensendi, qui mortui crediti sunt ante mortem. Etenim Auctor der Vergnügung Müssig. Stund. P. XI. p. 45. disertis verbis scribit, eum an. 1707 spiritum emisisse, cum tamen hodieque (faxit Deus per multos porro annos!) sit corpore & animo vegeto superstes. Error sine dubio natus est tam ex hac inscriptione, qua ipse Mellius sacellum suum sepulchrale, quod est in Templo Arcis, reddidit conspicuum:

VT. EXANTLATIS. VITAE. LABORIBVS
AC. IMMORTALI. MENTE. COELO. REDDITA
DEFATIGATO. ET. EXANIMATO. CORPORI

SIT. COMMODVS. QVIESCENDI. LOCVS
VNDE. SVPREMA. SERVATORIS. VOCE.
EVOCATVM
AD. VITAM. MELIOREM. PRODEAT
INEVITABILIS. LETHI. MEMOR
AT. GLORIOSO. VITAE. PRINCIPIS. TRI-
VMPHO
IMMOTA. RESVRRECTIONIS. SPE. SVF-
FVLTVS
SACELLVM. HOC. SEPVLCHRALE
SIBI. SVISQVE. HEREDITARIVM. FECIT
IACOBVS. A. MELLE
PASTOR. MARIANVS
ANNO. MDCCVII.

quam ex verbis Hilmeri, qui ad hoc ſepulchrum reſpiciens, l. c. p. 55 *pie*, inquit, *mortuus eſt an.* 1707 *ante mortem.* Non ſatis caute igitur Hilmerum, quem citauit, inſpexit & ſenſum verborum eius moralem attendit. Idem auctor Mellium in Gymnaſio noſtro ſtrenue ſe exercuiſſe affirmat. *Daſiges beruhmte Lyceum*, ait, *war ſein Tummel-Platz, auf welchem er ſich hurtig erwieß.* Cum quibus verbis ſunt comparanda, quae de ſe ipſo ſcribit in Notit. Maior. l. c. & quae nos iam monuimus. Ceterum rectisſime iudicat idem ſcriptor, dum noſter ab eo vocatur *der gelehrte und in der Müntz-Wiſſenſchafft und Antiquitäten höchſt erfahrne Paſtor zu St. Marien in Lübeck.*

SAMVEL GERHARDVS a MELLE.

Iacobi filius, qui Athenaei noſtri alumnus an.

 1709.

1709. d. 21 Mart. *de Studio Immortalitatis* ductu B. Suantenii, eius non sine laude in Progr. mentionem facientis, pro concione PP. CC. & aliorum honoratissimorum virorum dixit. Cum Wittenbergae & Ienae (vbi an. 1713 Philosophiae Magister est renunciatus) Academica studia absoluisset, itinera in Belgium, Angliam, Galliam, Helvetiam & Daniam prudenter suscepit atque insigni cum fructu confecit. In patria an. 1717 summe Reu. Praesulis nostri Goetzii *Dissertationem Theologicam in Salutem Moribundorum Jesus Maria ingemiscentium inquirentem* & an. 1718 Eiusd. *Dissertat. Theol. de Euangelii Ministris a D. Mart. Luthero ordinatis ad Art. Smalcald. P. III. Art. X.* defendit. Vocatus est eodem anno superiori Symmysta Aegidianus. Elaborauit

Dissertationem Theologicam de Commercio Dei & Hominum. Witteb. 1712. 4. Huic summe venerandus *Wernsdorfius*, sub cuius praesidio publice est ventilata, in laudem nostri egregie praefatus est.

Exercitationem Theologicam de Prudentia Iustorum in cauendo hoc tempore schismate circa pietatem orthodoxe docendam & rite promouendam. Ien. 1714. 4. Praeside summe reu. *Foertschio* publice est defensa haec Exercitatio.

IVSTINVS METER.

Archi-Diaconus Oldenbrocensis in Hadelia, breue vitae suae curriculum in Epistola nuper ad me scripta his verbis dedit: *Ich bin an diesem Orte, alwo ich ietzo stehe, an. 1673 gebohren, zu Lubeck in*

meines

meines Seel. Vaters Bruder, MARCI MEYERS, Raths-Herrn, Hause erzogen, und habe die Ehre gehabt, das Lübeckische Gymnasium IV Jahr zu frequentiren. Von Lübeck bin nach Jena gereiset, daselbst 4 Jahre studiret. Von Jena habe mich nach Rostock begeben, alwo anderthalb Jahr verweilet. Von dannen bin nach Schweden und Dännemarck gereiset, alwo die Academien und gelehrte Männer besuchet. Von Schweden bin nach Engelland gangen, und habe zu Oxfort 3 viertel Jahr zugebracht: darauf durch gantz Holland gereiset, und so wieder nach Hamburg gekommen, von wannen nach Greifswald gegangen. An. 1708 *bin vociret nach meinem Vaterlande zum Archi-Diaconat. Was ich wehrendem Ampte gelitten, ist GOtt bekannt.* Haec ipse Meyerus. Adiicio eius scripta

Dissertationem de Sacerdote Androgyno, seu Quaestione: Num Androgynus salua conscientia possit fungi Ministerio Ecclesiastico? Gryphiswald. 1705. 4. Praes. I. F. Mayero.

Defensionem verae doctrinae de Contritione ex sola Lege, aduersus Primitias Augustanas Cl. Viri D. I. Phil. Treuneri, Pastoris apud Augustanos Minoritani & Minist. Euang. Senioris. 1709. 8. Recensetur haec Defensio cum approbatione in Relatt. Innox. 1709. p. 347 sq.

Dass der Binde-Schlüssel noch fest stehe, wider Thomasii defensorem, Carol. Rudolph. Rustium, Iuris Cand. klärlich gezeiget. Nebst beygefugten Anmerckungen über ein zu Helmstedt publicirtes Programma. Francf. 1709. 8. Innuitur Progr. de licito a religione Lutheranorum ad Romano-Catholicam transitu.

Diatribam Historico-Theologicam de Bugenhagii Lapsu Adiaphoristico, qua ostenditur, optimum alias virum tempore Certaminis Adiaphoristici grauiter quidem impegisse, nullum tamen inde praesidium tepidis mollibusque Theologis prognasci. Accedunt ex codice quodam MSCto Articuli A. 1556 Vinariae ex occasione legationis Palatinae & Wirtebergensis deliberati: vna cum perquam memorabili reuocatione Ioannis Stoltzii, paulo post lethaliter decumbentis. Hamb. 1710. 8. Vid. Relatt. Innox. 1710. p. 317 sq.

IOANNES MICHAELIS.

Celeberrimum hunc Theologum, patria Stralesundensem, qui *Gryphicum oraculum* dicitur aliisque summis ornatur laudibus ap. Witteniium in Memor. Theologor. Dec. XIV. p. 1806, sedecennem a parente missum esse Lubecam, ibidemque in museo Vrbis publico didicisse ex l. c. p. 1807 apparet. Linguae sanctae Foederis antiqui adeo fuit gnarus, vt *Psalmum XLV Hebraica Dissertatione* potuerit illustrare. Pro impetrando Doctoris gradu *de Mysterio SS. Trinitatis e solius V. T. libris demonstrabili* disputauit. Inter ceteras eius Disputationes singularis est ea, quam *de Voce Selah* conscripsit, studuitque demonstrare, per eam *nomen DEI* esse intelligendum (s). Reliqua

(s) Disputationem hanc sub praesidio Michaelis nostri in Gryphica Academia defendit B. *Iodocus Hackmannus* ICtus imo Theologus etiam & Philologus quondam Stadensis, quem vti scripta iuridica *de Iure Albinagii; de Confinatione & de Iure Aggerum* immortalem reddiderunt, ita quoque cognitio sacrarum litterarum & orientalium linguarum valde ornauit. Dixi plura de hoc ICto, Theologo & Philologo in

Reliqua eius ſcripta Philoſophica, Philologica & Theologica ap. Witt. l. c. p. 1813 enumerantur. Addendae ſunt omnino *Notae Exegetico-Criticae in N. T.*, quae cum Praefatione incomparabilis *Fechtii* Roſtoch. & Lipſ. 1706. 4. prodierunt. Virtutes Michaelis his verſibus comprehendit Io. Pomereſchius, celebris ICtus:

Eoae Graecaeque potens Latinaeque loquelae,
Et quae Socratico fonte ſepulta latent,
Sionias pariter perdocta celebriter artes,
Plena polo & ſuperis mens Michaelis erat.
Os niueum, ficti mores meliore metallo
Aevi in praeſentis praeteritique decus.
Vt nil posſideat vulgaris nobile funus,
Et deſiderii vix modus eſſe queat,

IACOBVS MVLLER.

Hic Theologus inſignis, viri ſummi Menonis Hannekenii, Praeſulis Lubecenſis, gener, Paſtoris Kirchwerderani munere per duos & viginti annos laudabiliter functus, Lubecam, quae eum an. 1621. d. 31. Ian. natum ſuſcepit, patriam agnouit. Huic vt permulta alia retulit accepta, ita quoque fidelem inſtitutionem, cuius Ioan. Kirchmannus, Iac. Kockertus & alii doctores publici Lubecenſes eum participem reddiderunt. Auxerunt eius literas Roſtochium, Regiomontum, Lipſia; (quae eum vidit ſub Praeſidio ſummi Theologi *Io. Hülſemanni*, qui illum amici-

in Stad. Literat. p. 52. ſqq. Ceterum Michaelis veſtigia quodammodo presſit, quodammodo deſeruit *Io. Paſchius* in Diſſ. *de Selah philologice enucleato*. Witteb. 1685. 4.

amicitia sua & fauore dignissimum iudicauit, *di Incarnatione Messiae & Officio Redemtoris* disputantem summisque in Philosophia honoribus an. 1647 ornatum) & tandem Argentoratum, vbi conscripta & praeside acutissimo Theologo *Ioan. Conr. Dannhawero*, Hospite suo, defensa erudita *Disputatione Theologica de Concilio primo Apostolorum Hierosolymitano ex Act. XV* studiis Academicis finem imposuit. Haec condecorauit peregrinationibus, quarum ope, cum iam antea vidisset celebre istud Colloquium Thoruniense, Heluetiae, Galliae, Germaniae, Belgii res memorandas lustrauit, Bibliothecas in vsus suos conuertit, & viros doctissimos sibi reddidit familiares. Anno 1654 d. 12 Iul. cunctis Magnifici Senatus Lubecensis suffragiis Pastoris Kirchwerderani impetrauit munia, optime ab ipso gesta vsque ad vitam an. 1676 d. 8 Mart. beata morte finitam. Monumentum aere perennius erexerunt illi honorificis Epicediis *Balth. Mentzerus, Guil. Verpoorten, Phil. Lud. Hanneckenius, Io. Reiche, Henr. Phasianus, Balth. Gerb. Hannekenius, Balth. Mentzer* (Mathem. hodie Prof. Hamb. celeberr.), *Bart. Botsaccus, Meno Reiche, Hect. Godofr. Masius* & alii.

CHRISTIANVS MVNDEN.

Vitam viri clarissimi & variis iam ingenii monumentis famam nacti lego in Celeberr. Iusti a Dransfeld, Theol. Prof. & Rectoris Electoralis Gymnasii Gôttingensis, quo ad eius, Hebr. & Gr. Ling. Prof. inaugurandi, Orationem *de Prouidentia Dei circa Hebraeas Graecasque litteras paria expertas*

tas fata d. 24 April. 1708 habendam, Auditores in-
„uitauit, his verbis conceptum: Natus est paren-
„tibus non vulgaris loci, patre *Bernh. Münden*, to-
„tius Femariae insulae prope Wagriam sitae
„praefecto & inspectore, matre *Anna von der Thien*.
„In celebri Gymnasio, quod Lubecae est, tres ip-
„sos annos audiuit clarissimos primae classis ma-
„gistros *Enoch. Suantenium*, Rectorem, *Mart. Christ.*
„*Göldelium* & *Sixt. Christian. Lipenium*. In Acade-
„mia celeberrima Chiloniensi, in qua ordini Stu-
„diosorum an. 1701, Prorectore Magnif. *Nic. Möl-*
„*lero*, Hist. & Antiq. Eccl. P.P. adscriptus est, & hu-
„ius hospitis & praeceptoris longe aestumatissi-
„mi, ac reliquorum Professorum *Christoph. Franckii*,
„*Henr. Opitii*, *Theod. Dassouii*, *Georg. Paschii* &c. lectio-
„nes Theologicas, Philologicas ac Philosophicas
„tam publicas quam priuatas, animo in primis
„ad studium Theologicum & litterarum sacra-
„rum scrutinium applicato, gnauiter visitauit.
„Duas Disputationes publicas in eadem Acade-
„mia defendit, vnam sub praesidio Christoph.
„Franckii *de Iustificatione & Fide iustificante* Mart. Be-
„cano oppositam, alteram praeside Theodoro
„Dassouio *de Votis Monasticis & Nasiraeorum inter se*
„*collatis*. Inclytae Lipsiensis Academiae fama
„pellectus an. 1705 illam petiit, & Rectore Ma-
„gnifico *Iohanne Oleario* IV Non. Iun. in ciuium A-
„cademicorum numerum receptus, Viros cele-
„berrimos *Seligmannum*, *Ittigium*, *Rechenbergium*,
„*Schmidium*, *Cyprianum*, *Ludouici*, vtrumque *Olea-*
„*rium*, patrem & filium, & alios excellentissimos
„viros doctores & patronos habuit, a quorum ore
pendere

„pendere summa ei fuit voluptas. In eadem A„cademia anno sequente summos in Philosophia „obtinuit honores, quo alios docendo disceret & „plures in studiis profectus acquireret. Collegia „inde Philologica & Philosophica aliis commili„tonibus aperiendi facultatem impetrauit, habita „Dissertatione Grammatica *de HE demonstratiuo*, „cuius interiorem naturam, punctationem & si„gnificationem scientifice demonstrare allabora„vit. Sueco milite circulos illius Academicos „turbante, Hannoveram iter faciendi illi ansa da„ta, ibi, benignissimo Numine sic dirigente, offi„cium Professorium in Gymnasio Gôttingensi „eidem inopinanti oblatum & Electorali aucto„ritate curae fideique eius est commissum. Haec Dransfeldius. Cuius verbis istud modo addendum, quod noster an. 1716, habita Oratione *de iis, quae non sunt in hominis vel peritissimi & fidelissimi potestate*, professionem Scholasticam cum munere Ecclesiastico permutarit, Διακονία Ioanneae in eadem vrbe Goettingensi admotus. Scripta eius extant

הא הידיעה *siue He Demonstratiuum*. Lipſ. 1706. 4.

Progr. de Literis Hebraeis & Graecis iusto habendis pretio. 1708.

Epistola Gratulatoria ad Andr. Leop. Borckensteinium, Comitatus superioris Holensis Superintend. & Pastorem Stoltzenauiensem de Felicitate Litteratorum. 1709. 4.

Chrysostomi Homilia I ad pop. Antiochen. in I. *Tim. V.* 23 *Graece, cum versione Germanica & notulis quibusdam critico-philologicis*. 1710. 4.

Das betrübte, aber doch seelige Oculi, in fun. b. Annae Cathar.

thar. Wohlfeldiae, Dom. Oculi defunctae. 1710. fol.

De Templo Mortis in fun. Margar. El. ſ. Mehlbaumiae, vxoris Iuſti a Dransfeld. 1710. fol.

De Columna Nubis & Ignis Commentatio, in qua primum Moſis de ea oraculum ex veris exegeſeos ſacrae principiis explicatur & a παρερμηνείᾳ recens inuenta modeſte vindicatur, nec non varia Scripturae loca ſubinde illuſtrantur. Goslar. 1712. 8. Hermanno von der Hardt in Ephemeridib. Philol. exiſtimanti, columnam fuiſſe ignem ſacrificii, in primis oppoſita eſt haec Commentatio, quae laudatur in Relatt. Innox. 1712 p. 153 his verbis: *Das iſt ein feines Specimen der redlichen intention und nicht geringen Gelehrſamkeit des Hn. Auctoris.* Conf. Celeberr. Buddei Hiſt. Eccleſ. V. T. P. I. p. 578. Fam. Erud. P. XXI. p. 625.

Die Dreyfache Reiſe in fun. b. Maederiae. 1714. fol.

Progr. de GEORGIO I Magnae Britanniae gubernaculis admoto. Goetting. 1715 fol.

Etymologicum Sacrum, ſiue omnium vocum Noui Teſtamenti Liber memorialis, in quo praeter reliqua in primis Phraſeologia N. T. exemplis ſolerter conquiſitis docetur, cum Tabulis Grammaticis & indice Graeco ac Latino. Gotting. 1715. 8.

Progr. in fun. Dieterici Ierem. Riepenhauſen, ad D. Iohan. Eccleſiaſtae & Reu. Min. Senioris. Gotting. 1716. fol.

Evangeliſch Lutheriſche Jubel-Predigt über die Sonntägl. Epiſt. Dom. XXIII. p. Tr. Phil. III. 17-21 an dem andern Evangeliſchen Lutheriſchen Jubel-Feſt a. 1717. d. 31. Octobr. der Chriſtlichen Gemeine zu S. Iohannis

in

in Göttingen öffentlich vorgetragen, darinn die vornehmsten Lehren und Pflichten, welche Evangelische Lutherische Christen an ihrem Jubel-Fest, und sonsten bey jedesmahliger Erinnerung der geseegneten Reformation Lutheri in schuldigster Danckbarkeit billig zu bedencken und auszuüben haben. Gotting. 1717. 4.

Die allerseeligste Vorbereitung zum seel. Sterben. 1719.

Historiae Columnae Nubis & Ignis plenioris edendae spem fecit in Comment. de hac Columna supra laudata.

Subsistendum hic est, Beneuole Lector!, etsi constitueram, cum absoluta Theologorum Sectione Partem I. demum finire. Oborta enim sunt nonnulla, quae impediuerunt, quo minus typographus ante nundinas Lipsienses, quibus bibliopola hunc qualemcunque laborem destinauit, omnia absoluere potuerit. Restant in hac Theologorum Sectione nonnulli (quos ordo alphabeticus nondum tangere potuit) ad Venerandum Lubecense Presbyterium pertinentes, quorum nomina supra pag. 267 sq dedi: nunc autem addo, quod, calamo praecurrente mentem, omisi, viros admodum reuerendos & praeclarissimos Ioan. Reich & Christoph. Anton. Erasmi Archi-Diaconis esse accensendos. Supersunt praeter hos multi, & in his non pauci, qui annumerantur ipsis sacri ordinis luminibus. De omnibus in Parte II, proxima aestate, si Numinis permiserit benignitas, euulganda, quantum fieri poterit, accurate agetur. Nunc iubet necessitas, vt filum abrumpam & primae huius Commentarii parti imponam

FINEM.

Emendanda.

PAg. 39 lin. 24 pro *anno* l. *annum*. p. 104 l. 18 *olis* l. *alis*. p. 110 l. 8 *Lubecensis* l. *Lubecensi*. p. 136 l. 18 *meretur* l. *mereatur*. p. 138 l. 12 *est* l. *&*. p. 140 l. 17 *fuerunt* l. *fuit*. p. 158 l. 7 *testantur* l. *testatur*. p. 197 l. 29 *Elisabethae* l. *Elisabetha*. p. 238 l. 31 *conceret* l. *coniiceret*. p. 246. l. 10 *anos* l. *annos*. p. 265 l. 2 *prope* l. *probe*. p. 283 l. 18 *patri* l. *patrii*. p. 302 l. 18 *Burgesius* l. *Borgesius*. p. 328 l. 16 *Marianam* l. *Marianum*. Reliqua, quae facile propter Auctoris absentiam & temporis penuriam potuerunt irrepere, corriget, pro humanitate sua, benignus Lector.

